M. Braëm

de libertinis Act. VI. 9

Diss. I–IV.

Hafn., 1698–1701.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

1,-250.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01386 7

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Q. F. S.

DE

LIBERTINIS

Act: VI. 9.

DISPUTATIO Ima.

Qvam

Annuente Deo Opt: Max:

&

Ampliſſima facultate Philoſophica

Amico conflictui exponit

MARTINUS BRÅĖM

Reſpondente

ingenioſiſſimo Juvene

ESCHILDO CHRISTIANI NAUR.

In Auditorio



hor: poſt merid: ſolit.

d. 18. Junii An. 1698.

HAFNIÆ,
Typis JOHANN. JACOB. BORNHEINRICH.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Imprimatur,
OLIG: JACOBÆUS.

1,-250.
DET KONGELIGE
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 0138
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

J. N. J.

B. L.

Vaſtiſſimo committor æqvori, naufragium qvævis pollicetur unda, ſurgunt infames ſcopuli & Acroceraunia, interitum minantia juſto certiorem; & qvod maximum, navigio vehor, procellarum undarumq; impetui pari minus, minus aſſvetô, pyxide nauticâ, anchorâ & gubernaculô deſtitutô. Paucis: Ampliſſimam aggredior materiam, circa qvam qvot mehercules! ſententiarum divortia? qvot eruditorum conflictus? qvorum dubiè alii, alii temerè ſtatuerunt; tali, inqvam, accingor rei, ſed viribûs ineptîs, invalidîs lacertîs, ſolidâ qvippe eruditione, debitâ ſagacitate, & maturô judiciô penitus deſtitutus; Paris ego ipſos inter ſuperos judicem me, temerariô prorſus auſu interpono; Aſt nantem in gurgite vaſto excipiat, exceptumq; ſublevet B. L., & qvicqvid mihi deeſt, perabundè reſtituat ejusdem favor, ſciat, mihi in magnis voluiſſe ſat eſſe, & ad ſumma nitenti pulchrum eſſe etiam in ſecundis tertiisq; conſiſtere; hinc aſflante Lectoris benevolentiæ Zephyro, vela explico; portus intereà, qvem anhelo, erit LIBERTINORUM (illorum puta, qvorum meminit Lucas *Act: 6. v. 9.* Verba textûs ſunt: Ἀνέστησαν δὲ τινες τῶν ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης ΛΙΒΕΡΤΙΝΩΝ, καὶ Κυρηναίων, καὶ Ἀλεξανδρέων,

1,-250.

DET KONGELIG
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 0138

καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας καὶ Ἀσίας, συζητοῦντες τῷ Στεφάνῳ. *Exorti ſunt autem è SYNAGOGA quæ dicitur LIBERTINORUM, qvidam, & Cyrenæorum & Alexandrinorum, & eorum, qvi ſunt ex Cilicià & Aſia, altercantes cum Stephano.*) (I) NOMEN (II) PATRIA (III) SYNAGOGA, in hoc tanqvam bonæ ſpei portu anchoram figo.

CAPUT I.

De Nomine LIBERTINORUM.

Circa prima nominis ΛΙΒΕΡΤΊΝΩΝ incunabula variæ ſunt adeò Eruditorum ſententiæ, ut illarum divortia *miros æſtus* haud immeritò vocaverit Pfeifferus (1); ad qvinq; tamen claſſes referri poſſunt: Primæ accenſeantur, qvi nomen hoc LIBYÆ natales debere rati ſunt, qvos inter choragi inſtar ponam Bezam necdum meliora edoctum, qvi textum à librariis eſſe corruptum, & non ΛΙΒΕΡΤΊΝΩΝ ſed Λιβυστίνων Legendum putavit, ita enim ille (2). *Qvo propius*, inqvit, *hunc locum inſpicio, eò magis confirmor in ea opinione, ut exiſtimem fuiſſe à librariis depravatum & pro* ΛΙΒΕΡΤΊΝΩΝ *reponendum eſſe* ΛΙΒΙΣΤΊΝΩΝ (*Iidem ſunt autem LIBISTINI qvi & Libyes & Libyci, ex Libya ſc: oriundi*) dico necdum meliora edoctum Bezam hæc ſtatuiſſe, deinde enim palinodiam egregiè canit, ſententiamq; retractat: *Qvoniam*, inqvit (3), *Lucas iſtos appellat ex conditione cæteros verò ex gente ac patria, ALIQVANDO EXISTIMAVI fieri potuiſſe, ut hic locus à librariis ſit depravatus &c:* & poſt pauca: *Præterqvam qvod omnes codices, qvos inſpexi, ſummo conſen-*

(1) *in dub: Vex: pag: 935.* (2) *Bibl: Bez: in acta Apoſt: pag: 144.* (3) *in acta Apoſt: pag: 29.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

conſenſu legunt ΛΙΒΕΡΤΙ΄ΝΩΝ, *non eſt etiam neceſſe ad hanc conjecturam venire:* Eo ipſo ſuum aſſeclis detrahens patrocinium, & inter illos Gagnejo (4), qvem ex parte ὁμόψηφον ſibi habuit; interpretationem enim iſtam probabilem dicit; illam autem corruptelam, qvam textui Bezæ attribuit, hominibus alter aſſignat, *potuit*, inqvit, *vocabulum qvadam loqventium corruptela mutari in LIBERTINOS maximè apud Barbaros*; & aliis, qvibus ſorſan majori jure dicam ſcripſiſſet, qvam Bezæ Lorinus (5) *Qvis*, inqvit, *hæreticum illum conſtituit judicem, & cenſorem omnium & codicum & auctorum*; Eandem præterea taxant ſententiam Calovius (6) ubi, & Gothofredum reprehendit, qvi (7) vocem λαβαςίνων pro λιβιςίνων ſuſtituendam putavit, contra unanimem codicum Græcorum, Syri Æthiopis & Arabis conſenſum, & Pfeifferus (8) qvi ſententiam illam, qva ex Lybia Libertinos accerſſunt, qvaſi ſunt vocandi Libyrtini vel Libyſtini, qvi inter Cyrenaicam & Ægyptum habitarunt, *precariam hariolationem ſolido fundamento deſtitutam pronunciat.* Qvid! qvod nullum unqvam produxeris Coſmographum vel Hiſtoricum, qvi LIBERTINORUM ita uſurpaverit nomen, ut taceam rationem ſcribendi repugnare atq; derivationem. Non enim à Libya LIBERTINI, ſed Libyes dicuntur: Vide Bullingerum (9) Cornelium à lapide (10) alios. Ad ſecundam claſſem referri poſſunt, qvi etymologiam hujus

 no-

(4) *Bibl: Magn: pag: 48.* (5) *in acta Apoſt: pag: 264.* (6) *Bibl: Illuſt: in acta Apoſt: pag:* (7) *in diſſert: ad Cor: 11.* (8) *Dub: Vex: pag: 935.* (9) *comment: in acta Apoſt: pag: 22.* (10) *in acta Ap: pap: 133.*

nominis ex voce Ægyptiaca *LOUBRA* & *LUBRATENU* corrupta deducunt, primasq; teneat Franciſcus Junius (11) qvi à voce LOUBAR & LABAR [nomine montis iſtius in qvo poſt finitum cataclyſmum Arca Noë reſedit] originem accerſere conatur, adducens bina ſententiæ ſuæ fundamenta, teſtimonia ſc: Joſephi & Epiphanii; Verum enim verò ſi penitius ipſos inſpiciamus auctores, facilè diſpaleſcit, qvàm parum habeat ex utroq; præſidii; ita enim Joſephus: (12) Μείνας ἄλλας ἑπτὰ ἡμέρας, τὰ ζῶα τῆς λάρνακος ἐξαφίησιν, αὐτός τε μετὰ τῆς γενεᾶς προελθὼν, καὶ θύσας τῷ Θεῷ, συνευωχεῖτο τοῖς οἰκείοις. Ἀποβατήριον τὸν τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσι ͻ: *Poſtqvam exſpectaſſet alios ſeptem dies* [Noa] *animantes ex arca emiſit: Et ipſe qvoq; cum progenie egreſſus, mactatis Deo victimis, epulabatur unà cum familia. Apobaterion* ͻ: *egreſſorium locum illum Armenii nominant.* Qvid hoc ad Rhombum, qvid ſimile habet Joſephus; ſed & Epiphaniũ audire libet, at ille ne volam qvidem aut veſtigiũ iſtius opinionis habet; nam ita ille (13) Κατ' ἰδίαν ταύταις (ἐκκλησίαις) ἐπιτεταγμένοι εἰσὶ πρεσβύτεροι διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας τῶν οἰκητόρων, πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας ὄντων, καὶ ἀμφόδων ἤτοι ΛΑΒΡΩΝ, ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ τῶν τὴν Ἀλεξανδρέων κατοικούντων πόλιν. ͻ: *Seorſim Eccleſiis iſtis præpoſiti ſunt Presbyteri, propter Eccleſiaſticos uſus incolarum, qvi proximi ſunt cuiq; Eccleſiæ, atq; etiam platearum, vel LABRARUM, more patrio dictarum iis, qvi Alexandrinorum urbem incolunt*, qvis hic non videt, qvam hic locus adducatur ἀπροσδιονύσως;

Epipha-

---

(11) *Scholiis in Bibl. Tremel: ad hunc loc:* (12) *Antiqv: Judaic: lib: 1. cap: 4.* (13) Κατὰ τῶν Ἀρειομαντῶν *Lib: 2. Tom: 2*

Epiphanius enim non dicit LUBRAM Ægyptiis vocari ſynagogam editiori loco ſitam, ſed ait tantum ἄμφοδον ɔ: vicum urbis vel plateam vernaculo ſermone dici LABRAM; Et ſic Labra hoc in loco nihil aliud ſignificat qvam λαῦρα, vox antiqviſſimis Græcorum ſcriptoribus uſitata; nam υ & β ſæpè permutantur; (14) Λαῦρα autem non raro exponitur ῥύμη vel δημοσία ὁδὸς apud Lexicographos. In hujus ſententiæ patrocinium inclinare videntur, licet τὸ ἐπέχειν eligere videri malint, Godvinus (15) qvi, *an à LUBAR denominatio facta ſit*, dicit, *ſe judicio Lectoris committere*; Mathæus Polus (16) qvi cauſas nonnullas recenſet, & in his vocem LUBAR, cæterum qvamnam illarum ut veriorem amplectatur in medio relinqvit. His adde Piſcatorem (17) qvi mentionem qvoq; facit vocis LUBRATENU, ſed obſcuram eſſe vocis hujus rationem ſuperaddit. Tertiam ſibi claſſem vendicent, qvi Libertinos dicunt à Livia Auguſti conjuge ſic cognominatos; Huic ſententiæ favere licet trepidanter videtur Oecumenius (18) ΛΙΒΕΡΤΊΝΟΙΣ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις καλεῖσθαι ἀπὸ ΛΙΒΊΑΣ τῆς Αὐγούστου γυναικὸς ἐπιφημίσαντες ἑαυτοῖς, καθο-

---

(14) *Sic Meurſius* μάβρος *&* μαῦρος, λαβράτον *&* λαυράτον *eſſe tradit, & qvid tritius eſt Davidis nomine, apud Græcos modò* Δαβίδ, *modò* Δαυὶδ *enarrato ad imitationem Hebræi* דויד; *ſic* νάβλα *&* ναῦλα *dicitur ex Hæbræo* נֵבֶל: *In nomine Severi reperies* σέβηρος *&* σέυηρος. *In Canonib. Concil. Chartaginenſis Novatus modò* Νουάτος *modò* Νοβάτος *& Laurentius modò* λαβρέντιος *modò* Λαυρέντιος *ſcribitur: vide Wetſtenium orat: 9: de Lingv: Græc: pronunciat: pag: 209.* (15) *Moſes & Aaron pag: 191.* (16) *in acta Apoſt: pag: 1363.* (17) *in acta pag: 75.* (18) *in acta pag. 57.*

καθότι ϗ περιφανὴς ἡ γυνὴ, καὶ δὲ ἀρετὴν στεργομένη, διαφερόντως ὑπὸ Αὐγούστου; ᾧ δὲ καὶ αὐτὴ εἰς ἀυτάμειψιν, τῷ τάφῳ τοῦ Αὐγούστου προσκαρτεροῦσα διέζησεν. *Libertinos autem*, inqvit, *fortaſſis vocari Romanos, qvod à Livia Auguſti conjuge ſeipſos celebres reddiderunt; eo qvod & mulier percelebris eſſet, & ab Auguſto virtutis gratia eximiè adamaretur; cùi ſane ipſa qvoq; id rependit, ut ad Auguſti ſepulchrum toleranti animo perſeveraverit;* Ut & ſcholia Græca, qvæ illos ajunt à Livia Auguſti uxore ortos; hanc vero opinionem ut ridiculam rejiciit Beza, (19) *Ridiculum eſt profectò, qvod à qvibusdam eſt annotatum, LIBERTINOS iſtos ſcilicet Romanos fuiſſe, qvia Latinum eſt vocabulum & à Livia Auguſti conjuge ſic cognominatos.* Et non video cur Hieroſolymis inſtituerit Collegium, cum in Italia aut Græcia nihil tale fecerit, nec hiſtoriæ Romanæ qvidqvam tale exprimant, ut liceat mihi uti verbis Benedicti Aretii (20). Qvarto loco ponantur, qvi dicunt: exſtructam eſſe hanc Synagogam pro peregrinis in longinqvis terris degentibus, ut Cicilibus, Aſiaticis, &c: qvibus ob longiſſimum iter liberum ſuiſſet venire aut non; hanc ſententiam annotatam videas & refutatam à Godvino (21). Qvintæ claſſi annumerentur, qvi loco LIBERTINORUM in textu ponunt LIBERTINI, volentes qvippe ab aliqvo ſic appellato hanc ſynagogam eſſe erectam & nomen traxiſſe; Huic favere videntur opinioni Syrus & Arabs interpretes, qvi ΛΙΒΕΡΤΊΝΩΝ in ſingulari numero vertunt, obſervante Beza (22) qvi tamen putat, ignorantes illos hanc

(19) *in acta pag: 144.* (20) *Comment. in acta pag. 56.* (21) *Moſes & Aaron pag. 161.* (22) *in acta Ap. pag: 476.*

hanc ſententiam defendere, eò qvod ſignificatio Romanæ vocis illis ignota fuerit; in hæc caſtra tranſcendunt, qvorum curâ prodiêre Bibl: Nova Norinbergica, ita enim illi: (23) Da ſtunden etliche auff aus dem Collegio der Libertiner, entweder von Libertino dem Stiffter/ oder von den befreiten Juden die jenſeit der Tybern wohneten/ erbauet und alſo genennet &c: Qvid Svidam dicam, qvid aſſeclam ejus Ortelium, qvorum prior (24) *LIBERTINORUM nomen*, inqvit *eſt ὄνομα ἔθνȣς*, poſterior (25) *LIBERTINORUM tanqvam gentis meminit Lucas*: uterq; gentis nomen eſſe ſtatuit, ſed ubicumq; terrarũ illa ſit gens defenire noluerunt; Aſt qvid nobis hic dijudicandum qvid inter tot tantorum conjecturas nobis demum ſtatuendum; Scilicet valde nobis veroſimilis ſit ea ſententia, qvæ nominis rationem non tam ab ipſo nomine qvam conditione qværendam eſſe, eosq; à *libertate*, qva donabantur, *LIBERTINOS* appellatos eſſe, præſertim dum omnes fere qvi ſuis annotationibus hunc illuſtrarunt locum Cryſoſt: (26) Ludov: de Dieu. (27) Lichtf: (28) Seld: (29) Jacob: Gord: (30) Druſius (31) Beza (32) Bulling: (33) Vitring: (34). & alii hanc amplexi ſint ſententiam, ſed cujus gentis homines indicat ſeqvens caput.

Cap.

---

(23) *ad h. l.* (24) *pag: 24.* (25) *Theſſ: Georg:* (26) *in acta Ap: pag: 555.* (27) *in hunc Loc:* (28) *in horis Eb. pag. 708.* (29) *de jure nat: & Gent. lib: II. cap 5. pag: 137.* (30) *in Bibl: Tom: III. pag: 324.* (31) *in hunc loc.* (32) *in acta Ap: pag: 29.* (33) *in acta Apoſt. pag. 22.* (34) *de Synag: Vet. pag. 257.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

CAPUT. II.

De Patria LIBERTINORUM.

Poſuimus nuper à conditione qværendam eſſe nominis ΛΙΒΕΡΤΙ΄ΝΩΝ rationem, qvo innuimus intelligendos eſſe homines in ſervitutem ductos, ſed poſtea manumiſſos & libertate donatos. Non verò ſermo nobis erit de antiqvorum Romanorũ LIBERTINIS, qvales dicebantur primis temporibus ii, qvi ex duobus Libertis ɔ: qvi aliqvando ſervitutem ſervierant & ex illa manumiſſi, nati erant, ut teſtatur Roſinus (35). Aliqvando autem poſt Appii Cæci cenſuram, LIBERTI & LIBERTINI pro iisdem accepti fuerunt, ubi tamen hoc diſcrimen inter duo iſta LIBERTI & LIBERTINI vocabula obſervatum fuit, ut LIBERTI dicerentur reſpectu Patronorum, LIBERTINI verò reſpectu ingeniorum, & ita vocabulo LIBERTI privatus qvidam reſpectus, LIBERTINI autem vocabulo publicus reſpectus, videlicet hominis conditio ſignificaretur, qvam differentiam prolixè tradit & explicat Laurent: Valla. (36) Cæterum apud eundem auctorem alibi LIBERTINI definiuntur ii, qvi ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt, hinc Qvintil: (37) *qvi ſervus eſt, ſi manumittatur, fit LIBERTINUS* & alibi (38) *ſervus cum manumittitur ſit LIBERTINUS.* Conferantur Caſtal: (39) Sigonius (40.) Bad: Pand: (41); Ut de manumiſſione illorum nihil dicam, qvam triplicem fuiſſe refert

(35) *Antiqv. Rom. lib. I. pag. 171. F.* (36) *Elegant. lib. 4. cap. 1.* (37) *VII. 10.* (38) *Inſt. 3.* (39) *de ant. jur. Civit. 1. 6.* (40) *pag. 254. & ex antiqvis Varro, Val. Max:, Mart., Cicero: alii*

COROLLARIA.

I.

Mitrarum uſus fruſtra ab Apoſtolis deducit Valeſius *annot: ad Euſeb: l. 5. p. 93.*

II.

Probabile ſatis eſt, per fletum Tammus innui cultum idololatricum penes Ægyptios, & in ſpecie planctum Oſiridis.

III.

Spuriis Ignatii Epiſtolis non accenſendæ ſeptem illæ

IV.

Enochi prophetiam ſcriptam qvis evincat?

V.

Licuit omnino Judæis ducere uxores extra tribum.

VI.

Iſraelitæ Ægyptiis nihil furati ſunt.

VII.

Pliſti de qvibus Joſephus Ant: Jud: lib: 18. cap: 2. non fuerunt Gens, ſed ſecta qvædam Eſſeis Judæorum non abſimilis.

B VIII. Men-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

VIII.

Mentiri non licet, ne qvidem pro conſervandâ victâ ſuâ.

IX.

Duas tantùm Apologias ſcripſit Juſtinus Martyr non plures.

X.

Præpoſitio ἀντὶ non ſemper oppoſitionem ſignificat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Q. D. B. V.

De

LIBERTINIS

Act: VI. 9.

DISPUTATIO IIda

Qvam

Annuente Deo Opt: Max:

Et

Ampliſſima facultate Philoſophica

Placido Eruditorum examini

exponit

MARTINUS BRAEM

Reſpondente

Ingenioſiſſimo Juvene

JOHANNE GEORGII HÖRNINGIO,

In Auditorio

hor: poſt meridiem
ſolit:



d: 19. Junii Anno 1699.

HAFNIÆ, Literis JOH. JAC. BORNHEINRICH.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Imprimatur.

P. VINDINGIUS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

ſerunt qvotqvot ferè, qvi hujus materiæ mentionem faciunt, Juſtinianus (42) Svetonius (43) & alii; inq; eo conveniunt, qvod alii fuerint, qvi conſentiente aut jubente Domino nomen ſuum in cenſum detulerunt; de qva manumiſſione loqvitur Ulpianus (44) *Servi qvi in peculio centum haberent, aut qvibus eas facultates Domini impartirent, ſi hi eos in cenſum Civium à Cenſoribus adſcribi juberentur, libertatem conſeqvebantur.* Alii, qvibus à Prætore, (45) virgâ capiti impoſitâ, qvæ *vindicta* dicebatur, libertas conferebatur: Hæc autem manumiſſio ita facta eſt: Qvi ſuum manumittere volebat ſervum, ejus caput aut aliud membrum tenens (46.) Prætori ſic dicebat: *Hunc hominem liberum eſſe volo,* & emittebat eum è manu. Prætor verò, *vindicta* ſervi ejusdem capiti impoſitâ, ita dicebat: *Dico eum liberum eſſe more qviritum,* adſtantiq; lictori ajebat: *Secundum tuam cauſam ut dixi, ecce tibi vindicta;* Tum lictor virgâ à Prætore acceptâ caput Servi percutiebat, faciem palmâ tergumq; verberans; Qvibus factis in acta à ſcriba nomen *manumiſſi* referebatur, adjectâ manumiſſionis causâ. Alii deniq; qvibus teſtamento libertas donabatur; Qviq; in

 hunc

(42) *Inſt: 1. 5. 4.* (43) *cum notis Pitiſci tom: 1. pag: 361.* (44) *tit. de libertis.* (45) *licet hæc poteſtas primum penes Conſulem fuerit, poſtea verò ab eo ad Prætorem urbanum translata ſit.* (46) *Iſtius manumiſſionis veſtigium in ipſa lege divina luculenter conſpici, volunt qvamplurimi. Cum enim in ſacrificiis, qvi offerebat victimam, manum capiti ejus imponeret, hoc ipſo ritu, eam Deo tradent, & qvaſi manumittebat, profeſſus prununciare juri qvod in iſtud animal habebat, ſeq; illud dominio ſuo eximere & cultui divino dicare vid. Bochart: Hierozoii part. I. lib. 11. cap. 54.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

hunc modum manumittebantur, raſo capite ſecundum nonnullos geſtabant pileum *. Tribus verò hiſce modis manumiſſi *majorem* & juſſam libertatem conſeqvi dicebantur, inq; album civium Romanorum recipiebantur (47). Qvi verò vel *inter amicos*, vel *per menſam* vel per *epiſtolam*, [qvos tres modos addit Roſinus (48)] manumittebantur, *minorem* conſeqvebantur libertatem & *Latini Juniani* dicebantur ex lege Junia Norbana. *Infimam* deniq; libertatem conſecuti, *libertiq; deditii* ex lege Ælia Sentia dicti ſunt, qvi tempore ſervitutis aliqvod commiſerant crimen, propter qvod in publicos carceres conjecti vel ſtigmate compuncti fuerant, ac deinde verò, gratiâ cum Dominis initâ, ab iis manumittebantur vid: Jac: Rævardum (49.) Anton: Cujacium (50) Jac: Cujac: (51) Joh: Roſinum (52) & alios. Hinc Plautus (53)

Tri-

---

* *Hinc proverbium illud ad pileum vocare, id eſt, ad libertatem vocare.* (47) *liberior enim tum temporis in civitatem Romanam patebat aditus, cuivis ſcilicet bene de Romano nomine merito, nullo nationis habito reſpectu, cum tamen parcè minùs jus illud civitatis antea datum fuerit. Hinc Punico ardente bello, Murrina Syracuſanus ob plurima in Rempubl: merita, & qvod in ſicilia cum eqvitatu ad Romanos tranſiiſſet, ex auctoritate ſenatus & rogatione populi, loco magni muneris, civitate donatus fuit. Hinc qvoq; lege Gellia & Cornelia ſancitum fuit, ut nemo niſi ab En Pompejo civitas daretur. vid: Jul: Cæc: cum comment: Arnold: Mont: lib. 1. de bel: Gall: pag: 50.* (48) *Antiqv: Rom: lib: 1. pag: 174. E.* (49) *Variorum lib: 4. cap. 9. & libr: ſing: de autoritate prudentum cap 7.* (50) *Lectionum ſubſeciv: Jur: Civ. lib. 2. cap: 9.* (51) *obſerv: lib: 5. cap. 13. & lib: 7. cap. 20.* (52) *Ant: Rom: lib: 1. c. 10.* (53) *Caſ: II. 8, 68.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Tribus non conduci poſſim libertatibus
Auſon: (54)
Triplex libertas capitisq; minutio triplex.

Non tacito verò pede prætereundum eſt, certum Romanis numerum in manumittendis ſervis poſitum fuiſſe; hinc lege Fuſia (55) Caninia (56) decretum fuit, ut à duobus ad decem pars dimidia, à decem usq; ad triginta pars tertia, à triginta usq; ad centum pars qvarta, à centum ad qvingentos pars qvinta, plures verò qvam centum non manumitterentur Sveton: (57), Paul: Sent: (58); Qvod reliqvum eſt, breviſſimè dicendum de ratione, qvam habuerunt in admittendo *LIBERTOS*, *LIBERTINOS*, *INGENUOS*, & qvi naſcebantur ab illis, ad publica officia, de qvo Pitiſcus (59) *LIBERTUS civis erat, ſed publico nullo niſi apparitoris aut coactoris fungebatur munere. INGENUUS, LIBERTINI filius LIBERTI nepos, jure meliore, fert enim ſuffragium in tribu ruſtica, Magiſtratus tamen non capit, neq; ſenatorii neq; eqveſtris eſt ordinis, ſed tertii ɔ: de plebe. INGENUUS, INGENUI filius, LIBERTINI nepos, LIBERTI pronepos, meliore qvam Pater jure, eqves enim Romanus eſſe poteſt, ſed aditum in corum non habet. INGENUUS, INGENUI filius & nepos LI-*

(54) *Eidyll: XI. 65.* (55) *Q. Fuſius Calenus & B. Vatinius anno ab urbe cond: 706. conſules fuerunt, eisq; conſulibus hanc legem fuiſſe latam creditur.* (56) *Caninia dicta fuerit, qvia auguſtus illam retractaverit C. Caninio Gallo eam veluti conſule a. 751. rogante: & ita, qvæ Fuſia ſolum dicebatur poſtea Fuſia Caninia.* (57) *cum not: Pitiſc: pag: 361.* (58) *IV. 14.* (59) *ad Svetonium in Claud: 24. 4. pag: 78.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

LIBERTINI pronepos, *LIBERTI abnepos*, *meliore qvam Pater & avus jure, in ſenatum enim legi poteſt & honores Magiſtratusq; capere :* & qvemadmodum officiis publicis diſtincti erant, ita etiam veſtitu, teſtis erit Macrobius(60) conf: Plin: (61) & Veter: ſcholiaſten Juvenalem (62). In Hiſtoria Eccleſiaſtica ſœpiſſimè qvidem occurrit nomen iſtud *LIBERTINORUM*, qvi qvamplurima ſtatuunt erronea dogmata, inter alia: Nullis Scripturæ ſacræ regulis, nulli diſciplinæ Eccleſiaſticæ, nulli profeſſioni ſe eſſe adſtrictos, ſed ſpiritus ſui arbitrio vivendum eſſe: atq; ut hinc ex una parte omnem rationem virtutis, peccati, pœnarum, ipſiusq; etiam inferni floccifaciunt, ita ex altera haud qvaqvam verentur Deum auctorem peccatorum, eorum ſcilicet, qvæ nos pro malis, illi ſecus, merito habemus, facere; Profana & execranda profectò hominum improbiſſimorum Secta, cujus religio eſt, nullam religionem æſtimare; de aliis eorum erroribus vid: Bulling: (63) Prateolum (64) Pezelium (65) Joh: Hoornbeck (66) Stockmannum (67); & licet videatur ſecundum nonnullos ipſum Lucam qvandam præbere occaſionem cogitandi hos illos fuiſſe, de qvibus agimus, dum dicit: *oblocutos illos eſſe Stephano*, q. d. erronea qvædam defendiſſe dogmata, tamen toto qvaſi cœlo diſtant à ſe invicem; etenim primò hi dicuntur *LIBER-*

---

(60) *lib: 1. ſaturn: pag: 10. cap: 6.* (61) *lib. 33. cap. 1.* (62) *ad ſat: 5. v. 164.* (63) *adverſus Anabaptiſtas lib: 2. cap. 14.* (64) *lib: 10. num: 4.* (65) *part: 2. argum: de cauſa peccati contra Libertinos pag: 210.* (66) *ſumm: Controv: Relig: lib: 6. pag: 390.* (67) *Elucid: tit: L. pag: 325. 326.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

LIBERTINI à libertatis abuſu, & prætenſa ſpiritus ſui libertate, cum tamen alia de cauſa, ut antea diximus (68), iſto noſtri inſigniti ſunt nomine; Deinde hi exorti ſunt ſecundum H. E. Scriptores Anno 1525, auctoribus *Coppino Inſulano*, *Qvintino*, *Bertrando*, & aliis, qvi *Flandriam* primum & *Brabantiam*, deinde *Galliam* quoq; veneno ſuo infecerunt, poſtquam *Gallia* aliquatenus purgata eſſet à lue iſta, eadem *Belgium* inſęcit, circa A. C. 1645, ubi hodienum adhuc dantur *LIBERTINI*. Noſtri verò *LIBERTINI* primo vixerunt ſeculo & Apoſtolico, ita ut meridiana luce clarius ſit de his non loqui Lucam (69)- Nec veroſimile eſt, ut quidam volunt, *LIBERTINOS* noſtros eſſe Judæos origine & gente, *qvi vel à ſe ipſo vel à Synedrio in terra Canaan Hebræo domino in ſervitutem venditi* (70) *deinceps ab eodem illo domino libertate donati ſunt*; Quam ſententiam propugnant Ludovicus de Dieu (71) Flaccius (72) Ligtfotus (73) cujus verba ſunt. *Illi Ergo* השוחררים *vel ſervi manumiſſi, de qvibus freqventiſſime Talmudici, erant Judæi quidam, qvi vel venditi fuerant in ſervitutem à Synedrio propter furtum, vel qui ſe vendiderant in ſervitutem ob paupertatem, & jam libertatem ſuam fuerant readepti.* Et poſtea inquit (74): *Tum vides qvalis fæx hi fuerint,*

(68) *diſp. 1. pag: 7.* (69) *Act: 6. v. 9.* (70) *qvod ut fieri potuerit nobis demonſtrat Scriptura ſacra Ex: 21. v. 2. Imo qvando ſacræ literæ dicunt. Qvando coemeris ſervum Ebræum, ſemper addunt Talmudici imprimis vid: R. Salom: in loc: cit: qvando coëmeris eum è manu Synedrii, qvi vendiderunt eum propter furtum ſuum, aut qvi vendidit ſe ipſum ex neceſſitate.* (71) *in acta Apoſt.* (72) *gloſſ: ad hunc locum.* (73) *Hor. Ebr. in acta pag. 1078.* (74) *loc. cit. pag. 1079.*

rint & quam pediculoſa, ut ita dicam, turba, qui inſurrexerint in beatiſſimum Protomartyrem, olim fures & mendici, dein ſervi, & quid jam niſi nebulones. Imo proponat differentias in illorum ſervitute [ſc: qui à ſe ipſo vel à ſynedrio venditi erant] auctore Kidduskim (75); Qvi vendidit ſe ipſum, venditur in ſex annos vel plures quam ſex, qui venditur à ſynedrio tantum in ſex; Vendenti ſe non poteſt herus dare ancillam Cananæam, vendito à ſynedrio poteſt, & quamplurimas alias, de quibus omnibus ſpontè taceam; Et declarat, quomodo iterum manumitti potuerint, nimirum vel dato pretio, vel per Jubilæum, vel per annum ſeptimum, aut aliquibus aliis de cauſis, idq; datâ ſchedulâ ſcriptâ manumiſſionis vid: Maim: (76); Verum quod ad Ligtfotum attinet, libenter concedo Judæos vendi potuiſſe & iterum manumitti; ſed de hoc controvertitur, an tales ſunt noſtri, quorum mentionem Lucas(77) facit; Et, quod dicat Ligtfotus, licet nihil frequentius in ſcriptis Judæorum occurrat quam ipſorum nomina, tamen exinde nihil certi concludatur, niſi clara proferri poſſunt verba: Illos Synagogam habuiſſe Hieroſolymæ, quod nunquam probari poteſt; Deinde quis credat Judæos, qui ſe ipſos paupertate preſſos ſervitio addixerant, aut à Synedrio propter furtum venditi erant, & quos ipſe Ligtfotus vocat *fæcem plebis, pediculoſam turbam, & mendicos*, ſuffeciſſe poſt manumiſſionem Synagogam quandam exſtruere atq; ſuſtentare, cum difficile fuerit, ſe ipſos è ſervitute redimere, ideo Deus talem præſcripſit legem

(75) *fol. 142.* (76) *in tract. Avaddim.* (77) *Act. 6. 9.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

gem, ut vel fratres ipſorum, vel Patrui, vel conſangvinei ipſos redimerė potuerint (78); Et ſi vel maximė ſuffecerint id agendi non idoneam habuiſſe cauſam, ſiquidem in omne priſtinum jus ſuum reſtitutis nulla ratio fuit ſe à Synagogis Hieroſolymæ publicis ſeparandi; Deniq; hanc opinionem ipſum nomen in textu adhibitum quaſi refellit. Si enim Lucas (79) ſimpliciter reddere voluiſſet Hebræum השוהררים, quod Ligtſotus adfert & contendit, haud dubiė uſus fuiſſet Græca voce ἀπελεύθεροι vel ſimilis poteſtatis alia, non verò Romana illa ſeu Itala Λιβερτινωι, ideoq; Syrus ipſum nomen latinum retinuit ſic vertens דמתכריא דליברטינו :כ quæ vocata erat de *LIBERTINIS* [ſc: Synagog:] vel eorum, qui erant *LIBERTINI*, ut obſervaverit Joh: Lorinus (80). Nec placet ſententia illa Viris eruditis, quod ſc: hi *LIBERTINI* eſſent Gentiles natu qui poſtea, in Judaismum cooptati, *LIBERTINI* vocati ſunt. Verum priusquam ad ſententiam illam refutandam accedo, aliqvid de illis in anteceſſum præmoneam, ut eo melius intelligatur, qvomodo iſto inſigniti fuerint nomine. Tunc notum eſt, bina fuêre hominum ex gentibus genera, quibus ſedes licitæ in imperio Iſraelitico. Alterum eorum, qui in ritus Ebræorum prorſus tranſierant. Alterum eorum, quibus ſedes ibi citra aliquam Judaiſmi profeſſionem permiſſæ (81) certis tamen conditionibus quas brevitatis ergo prætermittam. Prioris generis alii conditionis ſeu ſtatus fuêre liberi, quos *Proſelytos Ju-*

ſti-

---

(78) *Ex. 21. v. 48.* (79) *Act. 6. 9.* (80) *in acta Apoſtolorum pag. 264.* (81) *qui Proſelyti domicilii dicti ſunt.*

ſtitiæ ſeu *Juſtos*, nuncupant, alii *ſervi*, alii demum *LIBERTINI* dicti. Cum ex Gentili conditionis liberæ fiebat *Proſelytus Juſtus*, id eſt, cum in fœdus, quod cum Iſraëlitis inierat Numen, recipiebatur gentilis, tria adhibebantur initiamenta, ut paſſim docent Talmudici, nimirum *Circumciſio*, *Ablutio* ſeu *Baptiſmus*, & *oblatio* ſeu *ſacrificium* (82). Circumciſionem probant ex dicto Ex: 12. 48. Baptiſmi ritum ex Ex: 19. v. 10. & oblationis ex Lev. 19. 24. deducunt, & niſi hæc omnia initiamenta adſunt, nullus fieri poteſt Proſelytus, ita ut circumciſio ſola niſi accederet Baptiſmus, neq; hic, niſi & illa accederet, Proſelytum faciebat. Spontè taceam omnes illos ritus, quos adhibuerunt; Veluti Baptiſmo Triumviri adeſſe debent, & ſi pauciores, quam qui Triumvirorum numerum conſtituerent, Baptiſmo adeſſent, irritus nec pro initiamento habebatur, de cæteris verò ritibus vide prolixè apud Seldenum (83). *Servi* fuêre ex Gentilibus emtitii, aliave ex cauſa ejusmodi adquiſiti, aut ex ancillis domini nondum in judaiſmum cooptatis domi nati, deinde iisdem initiamentis, qvibus Proſelyti juſtitiæ, in judaiſmum cooptati, differentia tamen quadam in Baptiſmo, qui, niſi libertate in ipſo baptiſmi actu donandi eſſent, diſſertis verbis baptizabantur *nomine ſervitutis retentæ*. Domino heic cavendum erat ne ſervus major in præſentia ejus Baptiſmo ſuſceptus profiteretur Triumviris, ſe baptizari eoram illis no-

---

(83) *dum templum ſtetit, nam eo exciſo, tertium hoc initiamentum usq; in ejusdem inſtaurationem comperendinatum volunt.* (83) *de Jur. Natur. & Gent. lib. 2. cap. 2. pag. 139. &c.*

COROLLARIA.

I. Vacare & otiari ſœpè eſt, literarum ſtudiis occupatum eſſe.

II. Non ſatis probabile eſt, miſpæ qvandam extitiſſe Synagogam temporibus Judicum.

III. Latinæ voces nonnullæ, ab Evangeliſtis, inſtar Græcarum uſurpantur.

IV. Liberalitas conjuncta eſſe ſolet cum animi ſimplicitate.

V. Per Angelum Gen: 32. v. 24. rectè intelligitur angelus increatus ſeu Filius Dei.

VI. Gaudium & luctus ſecundum Logicam Spirtus Sancti non ſunt oppoſita ſed conſentanea.

VII. Numerus lingvarum, qvæ à confuſione Babylonica ortæ ſunt, haud qvaqvam poteſt definiri.

Deut. 32. v: 8. Cum Excelſus gentibus diſtribuit hæreditates, diviſitq (separavit) filios hominum (adam) ſtatuit terminos populorum ſecundum numerum filiorum Iſraëlis
Non Iſraelis 12 trib. ſed 70 filiis Gen. 46. v: 27.
Gen. 10. v: 5 Ab his (Noachidibus) diviſæ ſt regiones gentium per terras earum, cuiq juxta lingvam ſuam, et juxta familias ipſarum in gentibus ſuis.

VIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

VIII. Rahab, apud qvam exploratores diverterunt, erat meretrix.

IX. Non ſolum Deuteronomium, ſed totum Pentateuchum in templo reperit Helcias Pontifex.

X. Muſica apud Veteres in pretio fuit & pars eruditionis.

XI. In more poſitum fuit Proſelytos juſtitiæ admittere ſeu recipere non tantum Davidis aut Salamonis temporibus verum etiam ante ipſorum tempora.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Q. D. B. V.

De

LIBERTINIS,

Act: VI. v. 9.

DISPUTATIO III.

Qvam

Annuente Deo Optimo Max:

Et

Approbante Ampliſſima facultate Philoſophica

Placido Eruditorum examini ſubmittit

MARTINUS BRAEM,

Reſpondente

Nobiliſſimo atq; Ingenioſiſſimo Juvene

CHRISTIANO BRAEM.

In Auditorio



horis poſt meridiem ſolit:

die 11. Junii Anno 1700.

HAFNIÆ, Literis JOH. JAC. BORNHEINRICH.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Imprimatur,
C. BARTHOLIN.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

nomine Ingenui liberive aut nomine juris Proſelyti ɔ: ut libertatem ſeu integrum Proſelyti juſti jus ſibi nanciſciretur, atq; ita ex aqvis liberè aſcenderet; adhibitô interdum, ex ſententia forenſi, qvæ abnuentem coerceret Dominum, manumiſſionis libellô, qvi ſemper libertati plenè adqvirendæ neceſſarius. Mos igitur ille hanc ob rem à Majoribus receptus fuit, ut Dominus eum ſupernè inclinans, in aqvis cohibuerit, nec aſcendere ſiverit, usq; dum verbis diſertis vel a Domino vel ab ipſo prolatis baptismum nomine ſervitutis retentæ fieri pronunciaretur. LIBERTINI autem fuêre, qvi ſive in ipſo baptismi actu, ſive poſtmodum à Dominis libertate donati ſunt; ſi in baptismi actu, qvomodo id fieret, ex jam dictis liqvet; ſi poſtea [ut qvidam volunt] alius acceſſerit baptismus *nomine libertinitatis*, isq; coram Triumviris ut prior, ſed juxta nonnullos ex jure ſeu moribus receptis haud ita neceſſarius fuit hic ad libertatem baptismus ſecundus; Utcumq; nova judaismi profeſſione in baptismo ejusmodi opus non fuit. Qvi primò manumiſſus etiam & poſtmodum circumciſus & baptizatus erat *Proſelytus juſtitiæ*, non *LIBERTINUS* dicendus; Qvoniam autem in ipſo actu tranſitionis in Judaismum ſervus baptizatus *in nomine Ingenui ſeu liberi* libertatem neceſſariò ex more Majorum conſeqvebatur, ideoq; in priſtinæ conditionis ſeu ſervitutis memoriam *LIBERTINI* ſeu libertate donati nomen retinuit ipſe poſteriq; ejus. Cæterum præter ipſum liberti nomen ovum non ovo ſimilius, qvam in cunctis *LIBERTINUS* Proſelyto; Proſelyti

C primò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

primò ipſum Judæi nomen participabant, ac ſi verè è gente, hac de re luculentum eſt Joſephi teſtimonium de tota Idumæorum gente, qvæ patriæ retinendæ cauſa in Judaiſmum tranſierunt. Subactis ſcilicet Jdumæis Hyrcanus ἐπέτρεψεν αὐτοῖς [ſic Joſephus (84)] μένειν ἐν τῇ χώρᾳ εἰ περιτέμνειντε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. Οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς καὶ τὴν περιτομὴν καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι. κακεῖνος αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *Edixit manſuros illos in patria, ſi circumcidi & legibus Judaicis uti vellent. Illi autem amore Patriæ ducti, & circumciſionem & reliqvam juxta Judaicos ritus vivendi formulam admiſerunt. Atq; eo tempore eis contigit, ut deinceps Judæi eſſent.* Inde etiam à Strabone (85) Stephano (86), Ammonio (87), inter Judæos cenſentur Idumæi. Nomen item Judæi Proſelyto cujuscumq; gentis exteræ acceſſiſſe palàm memorat Dio (88). Imo ſignanter adhuc ad hanc rem Joſephus (89) ubi de Proſelytis Juſtitiæ ex Moſis mente admittendis verba faciens, eum ait exiſtimaſſe οὐ τῷ γένει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ προαιρέσει, τοῦ βίου εἶναι τὴν οἰκειότητα, *non ſolum ex genere ſeu ſangvine, verum etiam ex ſingulari inſtituti vitæ electione naſci cognationem qvandam;* Qvæ velut in Judæi nomine indicatur. Huc etiam videtur illam referri poſſe diſtinctionem Apoſtoli Pauli (99) Ebræorum

---

(84) *Originum libr. 13. cap: 17.* (85) *Gregor: libr: 16.* (86) *In* Ἰουμαῖοι. (87) *libr: de different verborum.* (88) *hiſt. 37.* (89) *Adverſus Apionem lib: 2.* (90) *Phil: 3. 5.*

orum ex Ebræis ſeu omninò originariorum ab Ebræis ſeu Judæis, qvi ſive ipſi primò acceſſerunt ad Judaismum, ſive è Proſelytis juſtitiæ nati fuerunt. Hoc Judæi nomine *in genere* omnes inſigniti fuerunt Proſelyti, tunc demum, cùm planè illud ſublatum fuit diſcrimen inter, Iſraelitas & Judæos, qvod factum fuit poſt captivitatem Babylonicam, illo enim nomine anteà decem tribus poſt ſeceſſionem (91), hoc verò reliqvæ binæ, Juda & Benjamin, indigitatæ fuerunt; ut jam decem tribubus, ita etiam illorum Proſelytis, Iſraelitæ nomen tribueretur. Verum enim verò non ſola illa novi nominis acqviſitio, verum alius adhuc acceſſit effectus, in novis qvaſi mutati fuerunt hominibus, ac Regenerati habiti. Unde non ſemel apud Talmudicos (92) גר שנתגייר כקטן שנולד דמר *Proſelytus, velut infans, qvi recens naſcitur, habebatur*, idq; perinde ac ſi ex nova aliqva matre renaſceretur. Unde evenit, ut nulla ei deinde reſtaret priſtina cognatio ſeu ſangvinis relatio, nec fratrem, ſororem, patrem, matrem, liberos antè genitos omninò in ſuis haberet, & pro regula habetur: *Qvisqvis Proſelyto conſangvineus erat, dum fuit Gentilis, conſangvineus planè jam non eſt.* Nempè velut jam primo creatus, aut è cœlo lapſus novus homo fiebat, conſangvinitate priſtina non minus ac Gentiliſmo prorſus exutus, uti etiam demonſtrat Seldenus (93). Hinc etiam qvamplurimi referunt

(91) *2 Chron: 10.* (92) *Gem. Babyl: ad Tit: Jabimoth cap: 2 fol: 22. a.* (93) *de Jer: Nat: & Gent: lib: 2. cap. 4. pag: 158. ſeqv*

ferunt verba illa inter Chriſtum & Nicodemum prolata: *Oportet vos denuò naſci* (94), qvod cum Nicodemus miraretur Chriſtum dixiſſe, inſtaretqve qværitans: Πῶς δύναται ταῦτα γίνεσθαι, *Qvomodo poſſunt hæc fieri*, reſpondit Jeſus & dixit: *Tu es* διδάσκαλος τοῦ Ισραηλ, *Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras.* Etenim regenerationis notio [tametſi de ea, qvæ ſpiritu fit non ſolum aqva loqveretur Chriſtus] in Ebræorum de Proſelytis Juſtitiæ initiandis diſciplina ac moribus, qvos mirum eſt Nicodemum non agnoviſſe, ei minimè obſcura. Regeneratione illa ſeqvebatur participatio juris Judaicæ ſeu Iſraëliticæ prærogativæ, qva gaudebant Proſelyti, in eo conſiſtens, qvod habetur in lege ſacra (95), ככם כגר *ſicut vobis ſic Proſelyto.* Unde Talmudici paſſim ajunt (96): Proſelytum ejusmodi fuiſſe כישראל לכל דבר *Velut Iſraelitam reſpectu omnimodo* & Philo (97) cum originariis fuiſſe ſcribit Proſelytis ἰσοτιμίαν ſeu *parem conditionem*, atq; alienigenas, qvi judaismum amplecterentur ab iis οὐχ' ἧττον (98), τῶν ἰδίων πολιτῶν, *Non minus atq; ſuos cives* æſtimari; hæc tamen non ſine temperamento ſumenda eſt; Omnia de Judæi nominis adqviſitione, regeneratione, juris judaici participatione in eundem ſimiliter ad amuſſim conveniunt, adeo ut reverà *LIBERTINUS*, in Judaismum cooptatus ɔ: ut monſtratum ſit, in ipſo cooptationis actu libertate

---

(94) *Joh. 3. v. 7.* (95) *Num: 15. v. 15. adde Lev: 19. v. 33.* (96) *Gem: Babyl: ad tit: Jabimoth cap. 8. fol. 77. a.* (97) *libr: de Monarchia,* (98) *de Legatione ad Caj:*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

bertate donatus undiqvaq; ejusdem eſſet conditionis ac qvalitatis cum Proſelyto juſtitiæ, qvi tempore cooptationis è gentiliſmo in judaismum erat ingenuus ſeu liber. Tales autem *LIBERTINOS* illos eſſe, de qvibus agimus vult Seldenus (99) dum hiſce verbis ſuam profert mentem: *An non potius LIBERTINORUM ex jure Ebraico* משוחררים *כ: ſeu qvi è ſervitute in libertatem ac judaismum migrarent, qvam eorum qvi ex jure tantum Romano ſic dicebantur, notio eo in loco* (100) *obtinere debeat ſubdubito.* Dubitanter certè in tota hac materia loqvitur, dum non ſubdubitat tantum de vera nominis notone, nullas ideo firmas afferens rationes, verum rationes etiam tales qvales allatæ imo omnes ipſius Phraſes plenæ ſunt ambiguitatis, qvales ſunt: *Rationi non diſſidet; haud ita ambigendum videtur* &c., & aliæ, qvas ſpontè ſicco pede præteream, ut nullum firmum ſtruant argumentum, nec multa contra ipſum adducere opus ſit; Ad ſuas tamen ut perveniamus rationes, putat rationi non contrarium eſſe, ſi de *LIBERTINIS* juxta ritus judaicos factis intelligatur, nam & hoſce, inqvit, (101) ſua habuiſſe ſeorſim uti & Proſelytos juſtitiæ ſodalitia & ſynagogas, vix aut ne vix eſt cur dubitemus. Verum adhuc dubito, imo non facilè adducor, ut credam, Judæos tot ſervos Gentiles libertate donaſſe, & in Religionem ſuam recipiſſe in terra Cannaan, ut & illi Gymnaſii exſtruendi, curandiq; ſumptus tuliſſent, maximè, cum Judæi, obſervante Ligtfooto (102) in

 ſervis

(99) *de jure Nat: & Gent: lib: 2. cap. 5. pag: 170.* (100) *Act: 6. v. 9.* (101) *loc: cit: pag: 171.* (102) *Hor: Ebr: in Act: pag: 708.*

ſervis Cananæis manumittendis difficilliores fuerint, hancq; ſibi legem ſanciviſſent: non licet *unicuiq;* manumittere ſervum Cananæum vel Ethnicum, & ſi qvis manumittat, transgreditur legem iſtam: In perpetuum eos pro ſervis poſſidebitis. (103) Sed ſi fuerit etiam horum copia ſatis magna, qvid cauſæ fuiſſet his manumiſſis ſe à communibus Hieroſolymorum ſacris, in qvæ nunc recepti erant, ſeparandi, & in peculiarem ſibi ſynagogam ſecedendi? In catalogo enim Judæorum, ut antea audivimus, jam relati erant; Qvalis facta erat mutatio in regeneratione, ſi adhuc ut anteà à Judæis originariis ſegregarentur? Atrium à parte qvidem in Templo pro Gentibus factum erat, iſti verò *LIBERTINI* non tunc ad Gentes, hoc eſt ad illos, qvibus domicilium tantum in Judæa conceſſum erat, ſeptem tamen Noachi præceptorum obſervatione, ſed ad ipſos Judæos referuntur. Qvalem juris judaici ſeu Iſraeliticæ prærogativæ paticipationem in initiatione acceperant, ſi non tantum jus, tantam prærogativam, ut easdem cum cæteris Judæis, freqventare potuiſſent Synagogas? Prærogativam qvandam concedo habebant qvaſi Judæi, de vera Jacobi ſtirpe editi, ſed ſanè nihil illud qvicqvam obſtabat, qvo minus iisdem ſacris, in iisdem Synagogis cum cæteris Judæis uterentur; Imo qvanto ſe ab iis magis ſeparabant, tantò viliorem & ignobiliorem ſuam reddebant conditionem. Porro ſi conditio *LIBERTINORUM* aliqvid attribueret ſegr-

(103) *Lev: 25. v. 45.*

ſegregationi & particulari conventui, cur nullibi apud auctores mentio facta ſit Synagogarum *Servorum*, qvi tamen, licet in judaiſmum recepti, illis multò inferiores erant, etenim de illis ajunt Hebræi v. l. (104) *exeunt ex univerſitate, ſeu numero gentilium nec tamen univerſitati Iſraelis ſicut Proſelyti juſtitiæ ac Libertini accedunt*; Medium qvaſi qvid inter Gentilem & Judæum ſeu Proſelytum juſtitiæ habebantur, & non ejusdem omnino erant juris, unde acqviſiviſſe eos ajunt *partem Proſelytiſmi*. Numero deinde non minori erant illi qvam *LIBERTINI*, qvippeqvi difficulter animum induxerim credere, Judæos omnes libertate donaſſe ſervos, nullis in eorum locis retentis, ita ut in eorum gratiam qvædam exſtructa eſſe potuiſſet ſynagoga, ſi aliqvis ad conditionem habetur reſpectus. Deniq; ſi vel maximè concedam, qvasdam dari *LIBERTINORUM* illorum Synagogas, adhuc tamen nec argumentis aliunde petitis, cum ne vix ſupra unicum qvidem invenire licuerit aſſeclam, qvi aliqvid de hac ſententia unqvam dormiverit, nedum ſcripſerit, licet in Criticis & Hiſtoricis valeat illa regula: Autoritatibus & qvidem antiqvorum pugnandum; una hirundo non facit ver, ſpecialis unius hominis cenſura & judicium in cauſa non eſſe poteſt, ut illa vel altera ſententia pro vera ſit admittenda, præſertim cum nec argumentis è contextu hujus loci ſumptis ſuam declaraverit opinionem doctiſſimus certè aliàs Seldenus, Synagogam nempe hanc ad illos pertinere. Con-

(104) *Gemar: Babylon: ad titul: ſanhedrin cap. 4. fol: 58.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Contraria potius illius ſententiæ, licet tantum probabilia, ex ipſo contextu elaborare conabor argumenta, ſi nimirum uno oculo ad diſputatores, altero verò qvaſi oculo ad diſputationem & materiam diſputationis reſpiciamus; Qvis tantam omnibus illis, è gentibus natis, tribuere vellet cognitionem dogmatum Judæorum, ut qvandam cum tali viro, Stephano, magna facienti prodigia, inſtituere auſi fuerint diſputationem? Monebantur qvidem gentiles, in fœdus judaicum recipi cupientes, de gentis, cujus in ſocietatem cooptandi eſſent, dignitate, de juſtorum mercede, pæna impiorum, futuro ſeculo, Præceptorum Moſaicorum onere, & id genus cæteris; diligenter etiam unumqvodq; totius Judaismi & legis Moſaicæ caput profiteri debebant, interim tamen non tam firma ac ſingulari faſcinati erant opinione, ac Judæi, de æternitate qvaſi omnium rituum ac legis ceremonialis, de qva cum Stephano diſputabant, ut multas proferrent inſtantias, qvin ſtatim claris convicti eſſe potuiſſent argumentis. Qvis & tantam illis omnibus, in judaismum receptis, fuiſſe credat ſcientiam, tantumq; Religionis amorem, cum qvamplurimi, non amoris, verum honoris atq; opitulentiæ, qvam in florentiſſimo illo Regno futuram ſpe devoraſſent, ſive timoris, aliâve id genus causâ judaicam amplexi fuerint Religionem; Certè in ſuſis complures proſelytos [eodem modo Libertinos] hujusmodi timoris cauſa factos docet Scriptura. Verba ſunt (105) *Et multi ex populis terræ facti ſunt Judæi, qvoniam*

(105) *Eſt: 8. v. 19.*

niam pavor Judæorum ſuper eos; Exemplum etiam habetur illuſtre in Idumæis (106) antea citatis (107), qvi amore patriæ ducti & circumciſionem & reliqvam juxta judaicos ritus vivendi formulam admiſerunt; Unde Ammonius diſertè ait (108) *eos coactos eſſe in judaismum tanſire*, ut religionis tantum ergò in arenam cum Stephano deſcenderent. Debile forſan illud ſit argumentum, & vix inter argumenta ponendum, firmius & clarius tamen adhuc è textu elaborabo argumentum, ut unicuiq;, textum ſemel perlegenti, ad oculum pateat, *LIBERTINOS* noſtros non eſſe gentiles natu; Tota ipſius Stephani oratio, ad ſuos diſputatores accommodata nihil minus qvam in illis, è gentili natione, qvadrare poteſt; Anne titulo *liberorum Abrahami* inſigniri potuiſſent, judæorum qvidem, ad religionem qvaſi ſpectanti, è ſtirpe enim Abrahami minimè prognati? anne ſibi applicare potuiſſent omnia illa beneficia Patribus Judæorum collata? anne de illis dicere qvis poteſt terram Canaan ipſis fuiſſe promiſſam? exterminatione potius minati qvam habitationem polliciti erant gentiles, omnes Dei promiſſiones ad originarios tantum ſpectabant Judæos, aliàs non recto ſuo ſenſu capi poſſunt verba (109) *ad habitandum hanc tibi ſemini dabo terram.* Unde ſacrorum formulis à Numine datis, in qvibus qvicqviam occurrebat, qvod originarios ſignatius denotabat, minimè uterentur Proſelyti Juſtitiæ & *LIBERTINI* nec ad ejusmodi ſacra præſtanda obliga-

(106) *Joſeph: Origin: lib: 13. cap. 15.* (107) *pag: 18. hujus diſſ:* (108) *libr: de different: verb:* (109) *Gen: 18.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

ligarentur. Hinc infert Seldenus ipſe alio in loco (110): In lege præſcripta eſt confeſſionis & profeſſionis decimandi formula anno qvarto feſti Paſcatis die ultimo poſt pauperum decimas polluctas adhibenda; in ea habentur verba illa (111) *benedic populo tuo Iſrael, atq; terræ, qvam dediſti nobis, ſicut juraſti Patribus noſtris.* Qvæ adeo ſingularia habita ſunt Iſraelitis, ut ad Proſelytos & *LIBERTINOS* ideo formula illa neutiqvam omninò attineret. Audi deinde Maimonidem (112) ex mente & moribus Majorum, & qvidem ut hoc in loco ab erudito Viro translatum: *Iſraelitæ profeſſione illa utuntur, neutiqvam vero Proſelyti Juſtitiæ ac LIBERTINI, qvoniam iis ſors non eſt in terra ſancta, nam dicitur: ſicut juraſti Patribus noſtris. Sacerdotes autem & Levitæ eadem pariter utuntur profeſſione, nam tametſi ſortem, ſeu partem ſibi in terra ſancta non habebant, erant nihilominus illis Urbes & prædiola* (113) *ſuburbana.* Porrò illi diſputabant cum Stephano, qvorum Patres liberati erant ex carcere Ægyptiaca, murmurabant in diſerto, legem in monte Sinai datam acceperant, antea Prophetas perſeqvuti fuerant, imo qvorum Patres anteà Spiritui ſancto obicem poſuerant, atq; hæc omnia de gentibus origine minimè dici poſſunt, illi enim potius ad cruciatores Iſraelitarum, qvam ad ipſos liberatos, & per conſeqvens nec murmuratores in diſerto, externa illa legis promulgatio, tabulis illis lapideis inſcriptæ, minimè gentibus data fuit,

---

(110) *de jur: Nat: & Gent: Lib: 2. cap. 4. pag: 163.* (111) *Deut: 26. v. 10.* (112) *Halach* Magiſter Sheni *cap. 11.* (113) *Num: 35. v. 2.*

fuit, licet interna illa per inſcriptionem carneis humanis cordibus uti patet clarum ex Pauli verbis (114) ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος. *Cum enim gentes qvi legem non habent, naturaliter ea qvæ legis ſunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Prophetæ nec ad gentiles miſſi fuerunt, privilegium illorum ſoli habebant Iſraëlitæ, illis enim in genere concredita erant τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ (115) ergo nec perſeqvutio illorum, non entis [in reſpectu ad gentiles] nullæ ſunt affectiones. Uno verbo ne minima datur anſa in toto textu *LIBERTINOS* illos intelligendi; ad alias ipſius rationes noſtræ ſententiæ contrarias poſtea ſuo loco reſpondebimus. Monſtratô ergo *LIBERTINOS* noſtros (1) diverſos fuiſſe ab iis, qvorum mentionem faciunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores (2) illos non fuiſſe Judæos, origine & gente, qvi vel à ſibi ipſis vel à ſynedrio in terra Canaan domino Hebræo in ſervitutem venditi, deinceps ab eodem illo domino libertate donati ſunt (3) non gentiles natu, qvi poſtqvam Hebræo domino ſervitium præſtiterunt, ab ipſo in libertatem miſſi & ſimul cum manumiſſione in Judaismum ut Proſelyti juſtitiæ cooptati ſunt, meam tandem declarabo mentem, illos nimirum fuiſſe qvidem Judæos, origine etiam & gente, ſed qvi Gentili Domino ſervierunt, & ab eo in libertatem dati fuerunt, & ob mentis claritatem plurimùm Venerabilis Doctoris Vandalini utar verbis, cujus

(114) *Rom: 2. v. 14.* (115) *Rem: 3. v. 2.*

jus conſenſus multum meæ ſententiæ tribuit robur: *Nobis ut cre lamus*, inqvit (116), *ſynagogæ illius Alumnos fuiſſe Judæos à Romanis in ſervitutem redactos, & poſtea manumiſſos, LIBERTINI Romani dicti, ut ex hiſtoria patet, perſvademus*, eodem modo ferè ſonant verba Chryſoſtomi (117) *Libertini autem qvi à Romanis libertate donati erant ſic appellabantur.* Unde concludit Beda (118) Conſtat ergò ex ſtirpe ſervili fuiſſe eos qvi primò fidei Chriſti reſtiterunt, qvi etſi ab hominibus emancipati, tamen ſervi erant peccati, figurantes hæreticos & perſeqvutores fidei & ſanctitatis. Anteqvam autem ad ſententiam meam declarandam recta procedam via, Seldeno primò monſtrabo ex ipſo contextu Libertinos illos fuiſſe Judæos & qvidem à Romanis manumiſſos. Apponuntur enim hic *Alexandrinis*, *Aſianis*, *Cyrenæis*, *Cicilibus*, qvos omnes conſtat fuiſſe Judææ Gentis homines, ex locis extra Canaanem ἐν τῇ διασπορᾷ oriundos, vel ſaltem ibidem habitantes, qvod vel ipſi vel ipſorum Majores ſedes ſuas ibi fixiſſent; qvi tamen ſua Hieroſolymis habuerunt Gymnaſia. Probabili autem ratione concludo, *LIBERTINOS*, illis appoſitos, ejuſdem eſſe generis, hoc eſt Judæos, verùm locorum exterorum, Romanos, inqvam, & Italos, qvi tamen etſi procul abeſſent, caritatem religionis hoc certo demonſtrare voluerunt argumento, ut gymnaſium vel ſynagogam ſui nominis Hieroſolymis non deeſſet qvod & demon-

---

(116) *in prælect: in Act: Apoſt: cap: 6. v. 9.* (117) *in Acta Apoſtolor: pag: 555.* (118) *citatus à Lyrano Tom: VI. pag. 1043.*

ADDITAMENTA.

I.

Per totam vitam illo lingvarum dono, qvod Apoſtolis in feſto Pentecoſtes fuerit collatum, inſtructi erant Apoſtoli & non tantum per unicum diem duraverit contra SALMASIUM. *In comm: de ling: Hellen: p. 252.*

II.

David non induerit Ephod, & in illo Deum perqviſiverit.

III.

Sex tantummodo fuerunt *Aſyla* & urbes refugii.

IV.

Ad has non tantum iis refugium conceſſum erat, qvi genere & actu erant Iſraelitæ, ſed etiam qvi erant advenæ & peregrini.

V.

Joſva & Caleb non ſoli terram Canaan fuerint ingreſſi.

VI. Circum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

VI.

Circumciſio peracta fuerit ordinariè à Levitis contra Richardum Montac:

VII.

Non tam improbabilis ſit illa ſententia à mundi primordio ad diluvii initiũ elapſos eſſe annos non 1656. ſed 1655. uti putat Calviſius.

VIII.

Qvatuor Paſcata nec plura nec pauciora, Chriſto publicum & viſibile in terris miniſterium adminiſtrante, Hieroſolymis celebrata fuerint.

IX.

Non Eodẽ ultima vice, qvo Judæi, tempore Chriſtus Paſca mactarit ac comederit.

X.

Sententia illorum defendi poſſe videtur, Herodem non Judæum ſed alienigenam fuiſſe.

XI.

Admiſſio Proſelytorum Domicilii poſt captivitatem Babylonicam ſuo modo etiam in uſu fuerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Q. D. B. V.

DE

LIBERTINIS

Act. VI. v. 9.

DISPUTATIO IV. & ultima.

Qvam

Annuente Deo ter Opt. Max.

&

Approbante Ampliſſima Facultate Philoſophica

Publicæ diſqviſitioni ſubmittit

MARTINUS BRÄEM

Unà Defendente

Nobiliſſimo atq; Præſtantiſſimo Juvene

ERASMO JOHANNIS EILERS,

Philoſoph. Baccal.

In Auditorio



Horis poſt meridiem ſolitis

d. 25. Jun. Anno 1701.

HAFNIÆ, Literis JOHAN. JACOB. BORNHEINRICH.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Imprimatur,
JOH. BIRCHEROD.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

demonſtrat Campegius Vitringa (119) Qvamplurimi etiam eorum in actis Apoſtolorum (120) conjunguntur, ubi dicitur: *Et qvi habitabant Meſopotamiam & partes Lybiæ, qvæ eſt circa Cyrenen & advenæ Romani* ſicut ibi nominantur Cyrenenſes cum advenis Romanis, ita hic LIBERTINI, cum Cyrenenſibus, qvod & obſervavit Johannes Gagnejus (121) illamq; ob cauſam, *qvia Patres eorum*, inqvit, *apud* Romanos *ſervierant, & deinde manumiſſi fuerant*; hinc in meditando qvaſi prorumpit Lorinus (122) *Hoc ſi eſſet, ex tribus mundi partibus diſputatores Stephanus habuiſſet, ex Europa* Romanos *iſtos, Cyrenenſes & Alexandrinos ex Africa, ex Aſia illos, qvi erant à Cicilia & Aſia minori, atq; ſic Stephani fama & Evangelii doctrina longius propagari potuiſſet*; LIBERTINI autem audiebant, qvi & Romani dici poterant, utpote jure Civitatis donati (123), qvia eo fortaſſe nomine freqventius à Romanis vocabantur, vel ut putat Caſparus Sanctius (124) ideo LIBERTINI vocati ſunt non Romani, qvia indigni Judæi viſi ſunt Romanis, qvibus Romanum nomen commune eſſet, qvod & notavit Auguſtinus (125); Militat etiam pro noſtra ſententia ipſum nomen ΛΙΒΕΡΤΊΝΟΣ à Luca adhibitum, qvod nullus neſcit Romanum eſſe illud vulgatum, qvo manumiſſi tum temporis deſignabantur, à

(119) *de Synagoga Vet. lib. 1. part. 1. cap. 14. pag. 256.* (120) *cap. 2. v. 10.* (121) *Bibl. Magn. pag. 509.* (122) *in Acta Apoſt. pag. 264.* (123) *Et civem Romanum ſimul & optima lege Judæum, etiam extra territorium Judaicum natum qvampiam eſſe potuiſſe manifeſtum eſt ex D. Pauli exemplo, qvi ex Hebræis, nam is Tarco Ciciliæ natus Act. 22. v. 18. & Judæus erat & Civis Romanus.* (124) *in Act. Apoſtolorum pag. 234.* (125). *In illud Pſ. 58. Diſperge illos in virtute tua.*

Luca ideo, ut videtur, in textu reſervatum, ut ſciremus, cujus generis LIBERTINOS heic intelligi oporteret; alia certè voce ſenſum exprimere potuiſſet vel græca illa ἀπελεύθερος, vel ſimilis poteſtatis alia, ut non præciſè Romanum illud adhibere neceſſe fuiſſet vocabulum LIBERTINUS, jam verò tam certum eſt qvam qvod certiſſimum, qvod ordinariè, ubi latinum nomen in græco reperitur textu, aliqvid Romanum indicet, & qvod uſitatum fuerit, ut peregrini homines, & qvæ peregrinorum hominum propria ſunt, ſuarum nationum nominibus appellentur, qvo argumento etiam utitur Caſparus Sanctius (126). Ita res ſeſe habet cum noſtris LIBERTINIS, qvi, cum verè eſſent manumiſſi Romani, & Itali, qvi ibi vel nati erant, vel longum tempus habitaverant, & cum inter Romanos ac Italos hoc LIBERTINORUM nomine inſigniti notiq; eſſent, in ipſa qvoq; terra Canaan & Hieroſolymis hoc retinuerunt nomen, & Gymnaſio ac Synagogæ ſuis impenſis exſtructæ, præfixerunt; Non tamen ſibi imaginetur aliqvis hic qvandam inveniri contradictionem, dum in anteceſſum (127) diximus: Nobis non ſermonem eſſe de LIBERTINIS Romanorum, cum tamen jam jam illos nominaverimus LIBERTINOS Romanos; eſt tantum apparens non verò realis qvædam contradictio; Suprà tantùm dicere mens fuit, nos non præcipuè ſermonem inſtituere velle de omnibus, ad manumiſſionem illorum pertinentibus, nec de omnibus in genere Romanorum LIBERTINIS, qvi non tantum Judæi, ſed & è variis gentibus fuerunt, qvod novi-

(126) *In acta pag. 134.* (127) *Pagina 8.*

novimus ex Roſino (128) cum illi nec ad hunc locum (129) nec ad ſcopum noſtrum referri poſſint, dum præprimis monſtrare ac indigitare velimus, è qva natione ac gente noſtri fuerunt LIBERTINI, minimè autem nos ipſos excludere velle à numero illorum Romanorum, qvod patet exinde, dum non refutatur illa ſententia, (130) nec recenſetur (131) inter illas, non admittendas; aliàs certè nobis neceſſe eſt palinodiam canere, cum tamen non heri vel nudius tertius, ſed à primo hujus dicti intuitu in illa fuimus opinione; Qvod autem tales exſtiterint Romæ Judæi antea in ſervitutem redacti, inqve bello capti, unicuiq; patet ex hiſtoria Romana nec non Judaica; Apud Romanos enim in more poſitum fuit, ut ad triumphi pompam captivos, catenis oneratos, jam collo ut ex Ovidio (132)

Ibunt ante duces onerati colla catenis,

jam brachiis Q. Horat: (133) Alb: Tibul: (134) jam manibus L. Plinius Junior (135) D. Juvenalis, (136) jam cruribus Ovidius (137) à prælio ſecum adducerent, & rara unqvam victoria deſcribitur ſine catenarum mentione, unde Marcius Varro (138) *victoriam* inde appellatam contendit, *qvod hoſtes victi vincirentur.* Illa autem captivitas non ad duces tantum hoſtium ſeſe extenderet, unde dicit Florus (139) *belli ducem dictum ab eo, ad qvem confuge-*

 rat,

(128) *Antiqvit. lib. 1. cap. 3. pag. 886.* (129) *Act. 6. v. 9.* (130) *pag. 12.* (131) *pag. 27.* (132) *libr. 1. de art. 3.* (133) *lib. 2. Epiſt. 1.* (134) *libr. 1. Eleg. 7.* (135) *libr. 7. Epiſt. 27.* (136) *Satyr. 6. v. 559. lib. 12. v. 441.* (137) *libr. 2. amorum eleg. 2.* (138) *libr. 4. de lingv. Lat.* (139) *lib. 2. cap. 14.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

rat, Thraciæ Regulo, in urbem in catenis reduxit ſed & ad milites, audi L. Florum (140) *primus invaſit Cretam M. Antonius cum ingenti qvidem victoriæ ſpe atq; fiducia, adeò ut plures catenas in navibus qvàm armis portaret*, cui uſui omnes illæ eſſent catenæ, niſi etiam captivitati militum inſervirent, minimè ipſi ſperandum eſſet tot duces invenire, qvot ſecum habuerit catenas, ut taceam alia teſtimonia: Hinc illi in bello capti, ex jure gentium, licèt alii ex jure civili, in ſervitutem ſint redacti, ut docet Roſinus (141) *Servitus erat conſtitutio juris gentium, qva qvis dominio alieno contra naturam ſubjiciebatur; Servi verò aut naſcuntur, aut fiunt, naſcuntur ex ancillis noſtris, fiunt aut jure gentium, id eſt, ex captivitate, aut jure civili, cum ſcilicet aut liber homo major viginti annis ad precium participandum ſeſe venundari paſſus eſt.* Qvis jam neſcit, qvot Romanis ac Judæis interfuerunt bella, ut, uno vix prius finito, Judæaq; à Romanis relicta, qvàm novum ob rebellionem ſtatim exortum fuerit, ex qvibus omnibus, ut victores, receſſerunt Romani; Primò enim ſubacta fuit Judæa per Cn: Pompejum, qvi primus Romanorum Judæos domuit (142) qvod & teſtatur Joſephus (143) Cauſamq; hujus addens: Τέτε γὰρ πάθοις τοῖς ἱεροσολύμοις ἄιτιοι κατέστησαν ὑρκανὸς καὶ Ἀριςόβελος, πρὸς ἀλλήλοις ςασιάσαντες. Τήν τε γὰρ ἐλεοθερίαν ἀπεβάλλομεν, καὶ ὑπήκοοι ῥωμαίων κατέςημεν. *Qvorum omnium malorum cauſa fuere Hieroſolymitanis Hyrcanus & Ariſtobulus, inter ſe diſſidentes invicem, nam tum primum liber-*

(140) *Lib. 3. cap. 7.* (141) *Antiqvit. Roman. cum ſupplem. Demſteri lib. 7. cap. 3. pag. 886.* (142) *Tacitus Hiſtor. lib. 5. cap. 9.* (143) *libr. 14. cap. 11. pag. 477.*

libertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum imperio & tunc capta urbe Hieroſolyma Ariſtobulum vinctum à prælio ſecum adduxit (144). Aliqvantò autem poſt Alexandro Ariſtobuli filio Judæam incurſionibus vexante, Imperator Gabinius è Roma venit, expeditionemq; contra Alexandrum ſuſcepit; Alexander verò pervagando regionem multos armavit Judæos, collectisq; properè decem armatorum millibus & mille qvingentis eqvitibus, munitionibus firmavit Alexandrium caſtellum juxta Coreas ſitum. At Romani conjuncti cum Judæis in officio manentibus occurrerunt Alexandro, tum conſerto prælio Romani occiderunt hoſtium circiter tria millia (145) Poſtea cum Ariſtobulus Roma profugus reverſus eſſet in Judæam, & conaretur Alexandrium recens dirutum denuo munire, Gabinius miſit eò milites, Ducibus Suſenno, Antonio, & Servilio, qvi eum locum occupari non ſinerent, operamqve darent, ut ipſum comprehenderent; ne autem putemus, ipſum ſolum Ariſtobulum hoc ſuum propoſitum in actum traducere voluiſſe, igitur dicit Joſephus (146) *Multi Judæorum propter nominis celebritatem confluebant novarum rerum avidi, & Pitholaus Hieroſolymorum præfectus cum mille armatis ad eum transfugit, ut armatorum octo millibus aſſumpſerit*, qvos omnes impreſſione facta coegerunt Romani terga vertere, occiſis eorum circiter qvinqve millibus, reliqvi verò diſſipati, ut qvisq; potuit, ſalutem ſibi qvæſiverunt, Ariſtobulus verò ipſe rurſus Romam remiſſus eſt; Deinde

(144) *Loco citato.* (145) *Antiqv. Jud. libr. 14. cap. 10. pag. 476.* (146) *libr. citato cap. 11. pag. 477.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

inde liberis ejus à Senatu Romano demiſſis, Alexander Ariſtobuli filius, denuo invaſo per vim principatu, multos Judæorum ad defectionem impulit, collectosq; magno exercitu regionem obeundo interficiebat Romanos qvotqvot adipiſci potuit, ſecum habens triginta Judæorum millia, ita ut auſus ſit occurrere Gabinio, & collatis ſignis decernere ad montem Itabyrium, qvo prælio deſiderata ſunt ex acie Judæorum decem millia; de his autem Pompeji & Gabinii contra Judæos expeditionibus ſcripſit Nicolaus Damaſcenus & Strabo ut & de aliis Joſephus. Qvis autem non credit, qvin ex tot præliis multi deducti fuerint captivi, cum ſemper aliàs ad rebellionem iterum eſſe potuiſſent parati, unum tantum, brevitatis ergo, ad illud probandum adducam locum ex Joſepho, dum de prælio inter Alexandrum & Gabinium ſupra memorato loqvitur (147) *Romani occiderunt hoſtium circiter tria millia, nec pauciores capti ſunt*, qvi omnes ſervili conditione Romam miſſi fuerunt. Hinc novimus ſervitutem illorum Judæorum Romæ degentium; Succeſſu autem temporis multi ab heris manumittebantur vel ob officia fideliſſima, vel pecunias Romanis datas, qvod & putat Conradus Pelicanus dum loqvitur de Synagoga LIBERTINORUM, (148) *eorum ſcilicet*, inqvit, *Judæorum qvi licet in gentium diſperſionem capti erant, ſeſe tamen vel pecunia Romanis data vel officiis fidelisſimis ſe & ſuos filios à ſervitute aſſertos ingenuos fecerant & liberos, qvos hic LIBERTINOS vocat.* De illorum

(147) *Ant. Jud. lib. 14. cap. 10. pag. 476.* (148) *in Acta Apoſtol. fol. 285. b.*

rum manumiſſione paululùm ſupra videri poteſt (149). De illis autem clarum habemus teſtimonium Taciti (150) *Actum & de ſacris Ægyptiis Judaicisq; pellendis, factumq; Patrum conſultum, UT QVATUOR MILLIA LIBERTINI GENERIS EA SUPERSTITIONE INFECTA, qveis idonea ætas in inſulam Sardiniam veherentur, coercendis illis latrociniis, & ſi ob gravitatem cæli interiisſent, vile damnum. CETERI cederent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent*, mentionem facit LIBERTINORUM, illorumqve, qvi Judaica infecti erant ſuperſtitione, & ſacra illorum adhærebant, qvi non niſi Judæi nam, licet ſuperſtitio & ſacra Judaica aliqvando pro Chriſtianorum accipiantur, heic tamen pro meris Judæorum ritibus intelligenda eſſe debent, qvippe, Chriſtiana fide nondum prædicata, jam à Tacito memorata contigerunt (151); Joſephus ipſe tradit qvatuor hæc hominum millia fuiſſe Judæos, dum de illa ipſa miſſione in inſulam Sardiniam loqvitur (152) & Svetonius pariter illos ſignatè vocat Judæos, JUDÆORUM, inqvit ille (153) *juventutem per ſpeciem ſacramenti in provincias gravioris cæli diſtribuit* (Tiberius) *RELIQVOS GENTIS ejusdem vel ſimilia ſectantes urbe ſubmomit, ſub pœna perpetuæ ſervitutis, niſi obtemperaſſent*, de Ægyptiis autem ſic diſtributis nihil ait, adeo ut manifeſtum ſit, Tacitum loqvi tantum de Judæis LIBERTINI generis, qvanqvam verba ejus ſimpliciter ſumpta, Ægyptios pariter atq;

(149) *pag. 4.* (150) *Annal. lib. 2. cap. 45.* (151) *Ludovicus Dorleans in Tacit. Annal. lib. 2. cap. 45. pag. 320.* (152) *Antiqv. Jud. lib. 18. cap. 5.* (153) *in Tiberium cap. 36. §. 1. 2.*

atq; Judæos reſpicere forſan videantur; Non autem mihi hic locus eſt dicendi de ſuperſtitione illa Judæorum, illorumq; ſacris, Rutelius autem his verſibus Judæorum ſacra execratur, & eorum ritus

Atq; utinam nunqvam Judæa ſubacta fuiſſet
Pompeji bellis, imperioq; Titi
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt
Victoresq; ſuos natio victa premit.

Qvæ licet etiam intelligat de ſacris Judaicis, qvæ ſub Claudio etiam paſſa ſunt exilia; nec de occaſione Judæos urbe ſubmovendi Tiberio data, qvam prolixè prodit Joſephus (154) ob injuriam nempe Fulviæ, Saturtini conjugi, à Judæis qvibusdam illatam. Non tamen dubitandum eſt, qvin inter hos LIBERTINOS, non tantum Judæi originarii, ſed etiam Proſelyti Juſtitiæ, & LIBERTINI ex jure nempe Judaico de qvibus loqvitur Seldenus, fuerint, nam omnes pariter Judæorum nomine veniunt, ut oſtenſum eſt (155) & non minus ex his qvam ex illis captivos è Judaico bello captos atq; abductos eſt exiſtimandum, imo non tam qvi veræ Judææ originis & Gentis in ſervitutem abducti & poſtmodum miſſi in libertatem, qvam etiam qvi de manumiſſis Gentilibus Religionem Judaicam amplexi & Judææ Genti inſerti fuerint. Manifeſtum adhuc pro noſtra ſententia inveniamus apud Philonem (156) teſtimonium, ex qvo intelligimus Judæos, qvorum habitationi

Trans-

(154) *Loc. citato.* (155) *pag. 18. & 20.* (156) *libr. de Legat. ad Cajum pag. 785.*

Trans-Tiberina regio ab Auguſto aſſignata eſt, fuiſſe *Judæos LIBERTINOS*, captos variis bellis (tàm Civilibus qvàm exteris, qvæ Romani in oriente geſſerunt) & dein à Dominis ſuis manumiſſos: Πῶς οὖν ἀπεδέχετο, inqvit, τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων: ἦσαν δὲ ὁ πλείους ἀπελευθεροτέντες αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευτερώτησαν: *Alioqvi non paſſus fuiſſet Trans-Tiberim bonam Romanæ urbis partem teneri à Judæis, qvorum pleriq; erant LIBERTINI: qvippe qvi captivi adducti in Italiam à Dominis libertate donati fuerant.* Si itaqve tanta LIBERTINORUM ſub *Auguſto* & *Tiberio* Romæ copia, qvid miramur LIBERTINORUM horum Synagogam vel Gymnaſium extitiſſe Hieroſolymis; Veroſimile omnino eſt, & rem totam ſic optimè concipere poſſumus, qvod Judæi inſignioris notæ, in variis orbis plagis extra Canaanem habitantes, ferè operam dederint, ut, qvi unius regionis, Provinciæ, diſtrictus aut celebrioris urbis erant, Gymnaſium aliqvod ſuo nomine, ſuisqve ſumptibus, Hieroſolymæ conſtitutum habuerint, cùm ut Filios ſuos Patria lingva & traditionibus erudiendos eò mitterent, tùm etiam ut Hieroſolymæ ſacrorum cauſâ agentes fixum ſtatumq; haberent locum exercendæ Religionis, qvod & videmus in variis illis in textu recitatis Synagogis, *Alexandrinorum* nempe, *Cyreneorum* & illorum qvi erant ex Cicilia & Aſia præter noſtrorum LIBERTINORUM; hinc dicit Calvinus (157) *Probabile eſt civium Romanorum libertos ſuis ſumptibus exſtruendam curaſſe*

(157) *in Acta Apoſt. pag. 54.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Synagogam, qvæ peculiaris eſſet Judæis, qvi Hieroſolymam ex provinciis commeabant. Theodorus Beza prolixius hac de re loqvitur (158). *Oportuit certè tàm amplam civitatem, ad qvam etiam undiq; Judæi tanqvam ad communem Academiam ſuos erudiendos mittebant, in varios cœtus diſtribui; qvos qvidem apparet ex hoc loco pro nationum varietate fuiſſe diſtinctos, qvemadmodum hodiè etiamnum Lutetiæ multa (qvæ vocant) Collegia à variis gentibus cognominantur, qvibus etiam peculiariter & propriè ſunt conſtituta.* Multi enim horum LIBERTINORUM occaſione data in Patriam redierunt, & Synagogam pro ſe & ſuis Româ revertentibus Hieroſolymis inſtituerunt, qvæ ab inſtituentium conditione nomen accepit LIBERTINORUM (159). Hinc ſolvitur illa qvæſtio, cur nempe ſeparatam habebant Synagogam illi LIBERTINI cum tamen verè erant Judæi? Mathæus Polus qvidem (160) talem facit conjecturam, qvia LIBERTINI hi medii erant inter ſervos & ingenuos, ac proinde ibi Synagogam habere poterant ſeparatam ab aliis, à qvibus conditio ipſos ſeparabat tanqvam viliores, juxta illud Flacci: *Qvem rodunt omnes LIBERTINI patre natum*, & tunc viderentur à cæteris qvaſi liberis rejecti, ut vult Menochius (161), cum qvibus easdem tibias inflant Theodorus Beza (162) Druſius (163) Tirinus (164) Cornelius à Lapide (165) & alii; Verùm probabilior videtur illa ratio ſupra data, ut nimirum

---

(158) *in Acta Apoſt. pag. 29.* (159) *Vandalinus in Prælect. publ. in Acta Apoſt. cap. 6. v. 9.* (160) *in Acta Apoſt. pag. 1363.* (161) *in explicat. Bibl. Tom. II. pag. 231.* (162) *loco antea citato.* (163) *in Act. Apoſt. cap. 6. v. 9.* (164) *citatus à Johanne Gagnejo Bibl. Magn. pag. 509.* (165) *in Act: Apoſt. pag. 133.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

rum certus ſtatusq; ipſis eſſet locus ſuos erudiendi ac Religionem exercendi; Peculiaris illa Synagoga nihil tribuit ipſis contemptus, niſi dicere velimus, qvòd & Alexandrini & Cyrenei, & Aſiatici cœteris viliores eſſent Judæis, imo qvod omnes Judæi certas Hieroſolymis freqventantes Synagogas rejecti eſſent, dum novimus qvamplurimas ibidem fuiſſe, unamq; omnes capere non potuiſſe; qvalis ergo illa illatio? Vellem aliàs libenter, ut illa nominaretur ac monſtraretur Synagoga, in qva veri erant Judæi, in prætio præ aliis habiti; Nec obſtat qvod Seldenus movet, LIBERTINOS illos Judaicæ gentis & Religionis ratione ſacrorum Religionis Hieroſolymis ut ingenuæ conditionis homines habitos exceptosq; eſſe, modò concedatur, nomen ipſum LIBERTINORUM ipſis nihilominus apud ſuos etiam contribules adhæſiſſe, qvia illo in Italia cogniti erant; Paucis verbis, omnes deniq; in hunc locum fermè commentatores mecum etiam faciunt, LIBERTINOS illos fuiſſe Judæos, bello captos ac tandem manumiſſos, Johannes Lorinus (166), Conradus Pelicanus (167), Calvinus (168) Bulingerus (169) Jacobus Gordonus (170) Menochius (171) Benedictus Aretius (172) Caſparus Sanctius (173) Lyranus (174) Godvinus (175) Johannes Gagnejus (176) Calovius (177) Mathæus Polus (178) Cornelius

(166) *in Act. Apoſt. pag. 264.* (167) *Comment. in Act. Apoſt. fol. 295. b.* (168) *in Act. pag. 54.* (169) *in Act. pag. 22.* (170) *in Bibl. Tom. 3. pag. 324.* (171) *explicat. Bibl. Tom. 2. pag. 231.* (172) *in Acta pag. 56.* (173) *in Act. pag. 134.* (174) *Gloſſ. Tom. 6. pag. 1043.* (175) *Moſ. & Aar. pag. 162* (176) *Bibl. Magn. pag. 503.* (177) *in Act. Apoſt. ad cap. 6. v. 9.* (178) *in Act. Apoſt. pag. 1363.*

lius à Lapide (179) Pheiferus (180); Qvis autem tot armatis reſiſtere poteſt? Et hoc ſufficit de gente vel Patria LIBERTINORUM, reſtat jam aliqvid dicendum circa ipſorum Synagogam.

CAPUT III.

De SYNAGOGA LIBERTINORUM.

Synagogas in terra ſancta extitiſſe qvis neſcit, niſi qvi in rebus Judaicis planè hoſpes ſit ac peregrinus; qvot interdum una eademq; urbs complexa ſit Synagogas? Non unam tantùm ſed plures numero in una fuiſſe teſtatur ſatis clarè Maimonides (181), ita ut etiam licitum fuerit membris Eccleſiæ Judaicæ plures freqventare Synagogas (182), etſi ordinariò unam tantùm, ſi plurium onera ferre non recuſarent; De Alexandrinis Synagogis locuples teſtis eſt Philo (183) ut & de aliis alii; Qvod Hieroſolymam attinet, tunc tanta in illa fuit Synagogarum copia, ut ab ipſis Judæis ac Talmudicis certus earum vix dari poſſit numerus, licet qvamplurimi confidenter aſſeverare velint, qvadringentas & octoginta Hieroſolymis fuiſſe Synagogas, ſic enim expreſsè ſcribitur in *Gemarâ Codicis Megillæ Talmudis Hieroſolymitani* (184) ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות היו בירושלים *Qvadringentæ & octoginta Synagogæ fuerunt Hieroſolymis*, qvod

---

(179) *in Act. pag. 133.* (180) *Dub. Vex. pag. 935.* (181) *Hilcoth Tephilla cap. 8. §. 3.* (182) *Hilcoth Mattenoth Aniim cap. 7. §. 15.* (183) *libr. de leg. ad Cajum p. m. 783.* (184) *ad cap. 3. fol. 73.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

qvod & memorat Fagius (185) ex Ebræorum ſententiâ, cùm tamen dentur alii, qvi, tantummodò 460 fuiſſe, ſtatuerunt, inter qvos à Ligtfooto (186) recenſetur *R. Phinehas nomine R. Hoshajæ*, affirmans Synagogas fuiſſe 460; Qvarum inter alias unam nobis Lucas (187) exhibet, de qva pauciſſimis nobis agendum eſt; verba textus ſunt: *Exorti ſunt autem qvidam* ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων καὶ Κυρηναίων, καὶ Αλεξανδρέων, &c. *ex SYNAGOGA, qvæ dicitur LIBERTINORUM & CYRENEORUM, & ALEXANDRINORUM*, &c. *diſputantes cum Stephano*; Sciendum autem eſt, duplicem in ſcriptura præprimìs vocabulum illud Synagoga habere ſignificationem; primò ordinariô ſuô gaudet ſignificatu, cœtus nempe & congregationis, cùm græca ſit origine, a συνάγω, colligo, ut *Deus ſtat* בעדת—אל ἐν συναγωγῆ *in cœtu* Deorum (188) qvò & referendum eſt, qvòd in Apocalypſi Johannis (189) qvidam affectatæ fidei homines dicantur συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ, *Synagoga Satanæ*, & tunc exponitur per ipſum cœtum atq; conventum; aliis autem in locis uſurpatur vox illa pro ipſa domo conventus, vel loco, in qvem cœtus congregatur, in qvibus fas fuit precari, concionari, diſputare, non autem ſacrificare; Qvis enim alius poteſt illius notionis eſſe uſus, qvando Chriſtus dicitur *docuiſſe* ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῶν Ιουδαίων *in Synagogis Judæorum* (190) qvod de ipſo freqventer

---

(185) *Pircke Aboth.* (186) *Cent. Cronog. Math. præmiſſ. pag. 195.* (187) *Act. 6. v. 9.* (188) *Pſ. 81. v. 1.* (189) *Apoc. 2. v. 9. 3. v. 9.* (190) *Matth. 4. v. 23. 13. v. 54. Luc. 4. v. 15.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

qventer prædicatur per ſcripta Novi fœderis; Etſi ad hujusmodi qvoq; loca aliqva ſupereſſet cavillatio, minorem utiq; ſpeciem exceptionis illa relinqvunt teſtimonia, in qvibus *ἡ συναγωγὴ Synagoga* cum aliis locis comparatur, uti cum templo in dicto Chriſti apud Johannem (191): *Ego palàm loqvutus ſum mundo; ego ſemper docui ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ in ſynagoga & in templo;* Sed nullum prorſus ſcrupulum reliqvum faciunt ejusmodi dicta, qvibus talia de Synagogis prædicantur, qvæ de ſolis ædificiis intelligi poſſunt, ut fit in oratione Judæorum apud Lucam de Centurione (192) *diligit enim gentem noſtram, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν, & Synagogam ipſe ædificavit nobis*, eoq; modo ſumitur in noſtro citato loco; Sed ſi rationem expoſtulare qvis velit, cur fiat, ut hoc vocabulum pro loco & ædificio conventus ſumatur, cum ratione originis ſuæ ipſum notet cœtum, tunc obſervemus, haud rarò evenire, ut nomina, qvæ cœtum, conventum, ac congregationem ſignificant, tranſeant in ſignificationem loci, in qvem ejusmodi collegia hominum congregantur; ratio verò illius non videtur eſſe in obſcuro, qvippe ſtatis conventibus ſtata aſſignari ſolent loca, qvæ cum vix aliunde nomen aliqvod accipere poſſint, qvô ab aliis ſimilibus locis diſtingvantur, qvàm à nomine & indole Collegii, qvod in illa congregatur, hinc fit, ut nomina ejusmodi cœtuum ſæpè tranſeant in nomina locorum cœtibus illis aſſignatorum; exempla adduci poſſunt: *συνέδριον, curia, concio, comitium*, de qvibus idem adhiberi poteſt judicium

---

(191) *cap. 18. v. 20.* (192) *cap. 7. v. 5.*

cium, vide aliàs Vitring. (193); Non tamen credimus Synagogam illam LIBERTINORUM hoc textu ſignificare ipſam domum precum, verùm Academiam, Scholam vel Gymnaſium; Notum enim eſt, vocabulum *συναγωγὴ* pro Æde ſacra uſurpatum vel latius ſumi vel ſtrictius; latius qvidem qvando hoc vocabulum ſimul includit ſignificationem Academiæ vel Scholæ publicæ, in qva doctores diſputarunt de ſenſu divinæ legis, & ſtrictius, pro ſolis Oratoriis, in qvæ populus Sabbathis Feſtisq; diebus ad ſacra celebranda coivit, qvod & ipſe probat Ligtfootus, de Academiis Hebræorum differens, (194), *Vocabulum συναγωγὴ*, inqvit, *hoc ſenſu adhibitum aliqvando in N.T. tutò certè opineris, Chriſtumq; in his Scholis Theologicis aliqvando concionatum æqve ac in Synagogis*, non tamen de Græca voce *συναγωγὴ* tantùm ſic ſentit, ſed & de Hebræa כנמת, ſic ille ibidem: מדרש *Schola vocatur etiam non raròapud Talmudicos* כנמת *Synagoga.* Hinc veroſimile eſt, Synagogam hic notare Gymnaſium ſive Academiam, conſtituentem cum Synagoga integrum ædificium, in qvo LIBERTINI ſoliti erant ſua ſacra facere; celebrioribus enim Synagogis junctum erat Gymnaſium, in qvo docti Viri ad docendum aut diſputandum conveniebant, qvæ Scholæ, ut Synagogarum appendices, hoc ipſo nomine Synagogæ aliqvando ſignata ſunt, licet etiam locis minus freqventibus unum idemq; ædificium tàm communibus exercitiis Religionis qvàm inſtitutioni Scholaſticæ inſerviiſſe probabile ſit, ejusmodi

verò

---

(193) *de Synag. Veter. lib. 1. Part. 1. cap. 3. pag. 104.* (194) *Hor. Ebraic. in Matth. 4. v. 23.*

verò ædificium Synagoga dictum eſt à majori & communiori ſui uſu; Audi hac de re Campegium Vitringam (195) *Si ratio mea*, inqvit, *me non fallit, Synagoga in hoc textu* (196) *non tantùm, neq; etiam præcipuè ſignificat ipſam domum precum, ſed Academiam, quæ ſibi fortè adjunctam habuit domum conventus ad preces, niſi qvòd literati Viri aliqvando preces ſuas qvotidianas in Scholis abſolverint, qvas populus in Synagogis*; cum qvo & conſentit Brentius (197): *Erat autem*, inqvit, *Hieroſolymis multæ Synagogæ, qvas nos pro noſtro more publica Gymnaſia ac Academias appellamus, in qvibus ſtudia literarum tractantur, & alia qvidem Synagoga vocabatur LIBERTINORUM, alia autem Cyrenenſium, &c. fortaſſis qvod in iis operam literis dabant Judæi*; Non autem ſine ratione illud concludimus, fuerunt enim viri docti, ſcholares, qvi cum Stephano diſputarunt, ita ut longè probalius ex diſciplina ſcholaſtica qvàm ſic ſimpliciter ex Synagoga illos prodiiſſe credi poſſit; in Synagoga enim ſic ſtrictè dicta rebus illis ſcholaſticis atqve Academicis operam præprimis non dederunt, ſed in Deum precando, laudando, eiq; gratias agendo, & populo benedicendo fuerunt occupati; docuerunt qvidem populum in Synagoga, dum legem legerunt, interpretatiq; ſunt, verùm alius in Scholis ac Academiis docendi modus fuit, per qvæſtiones nempe ac reſponſiones, ita ut in illis Academiis docendi poteſtas & præcipuum illius poteſtatis exercitium apud Rectorem Academiæ ſive Principem fuit, qvem in omnibus traditionum minutiis ſic oportuit

(195) *in Prolegom. de Synag. Vetere. cap. 4. pag. 28.* (196) *Act. 6. v. 9.* (197) *in Act. Apoſt. pag. 152.*

portuit eſſe exercitatum, ut ad omnes qvæſtiones propoſitas ex promptè reſpondere & objectas qvascumq; difficultates continuò expedire & de iis deſerere valeret, eamq; ob cauſam certam tenuit cathedram, cum interprete, qvi ipſius nomine ac authoritate loqvutus fuit, licet & ſtudioſi Juvenes in ſuis ſederint ſedilibus, (198) qvi ſemper in diſputando ſeſe exercuerunt; Qvis jam non videt, qvin tales fuerint Stephani diſputatores, in rebus illis Academicis verſati, *ſurrexerunt* enim, ut dicit textus, ex locis nempe, qvæ antea occupaverant in Synagogis LIBERTINORUM, Alexandrinorum, Cyreneorum, unde concludere licet, illos antea ſediſſe, qvod in Scholis ac Academiis in more poſitum fuit; *diſputarunt* cum Stephano, qvod nihil minus qvàm ad Synagogas pertinuit; Tota hac de re prolixè loqvitur Lucas Oſiander (199) *Fuerunt enim*, inqvit, *tum temporis Hieroſolymis Scholæ, in qvibus haud dubiè non modò Theologica ſed etiam Philoſophica fuere tractata, id qvod ex Joſephi hiſtoria perſpicuum eſt; Ad has Scholas Hieroſolymam profecti ſunt ex variis orbis partibus Judæi & Proſelyti tanqvam ad celebrem Academiam ſtudiorum gratiâ; Qvi igitur videbantur cæteris doctiores, diſputarunt cum Stephano pro ſuperſtitionibus & traditionibus Judaicis contra Evangelicam Apoſtolorum doctrinam.* Solutô jam illô dubiô circa ſignificationem vocis Synagogæ in hoc textu, alia oritur qvæſtio: An tot Synagogæ, qvot hic memorantur gentium nomina, an verò unica hic tantum indigetatur Synagoga, LIBERTINORUM nimirùm, qvi LIBERTINI ex Alexan-

 driâ,

(198) *Maimonides Talm. Thora cap. 4. §. 3.* (199) *in Act. Apoſt. p. 337.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

driâ, Ciliciâ & Aſia originem traxerint? Ad poſteriorem hanc ſententiam propendent Seldenus (200), Calovius, (201) nec non Cajetanus, cujus ſunt verba (202) *Nec eſt improbabile*, LIBERTINORUM *nomen cæteris convenire, qvi hic ponuntur, præſertim juxta ſententiam, qvod unica omnibus illis Synagoga eſſet, ita ut in unam omnes cujusvis gentis* LIBERTINI *congregarentur.* Verùm qva ratione, neſcio, illa amplecti poteſt ſententia, cùm Synagogæ Alexandrinorum in Hieroſolymis à cæteris ſeparatæ mentio fit in libr. Juchaſin (203) *Hiſtoria de R. Eliezer Ben Zadock qvod accepit* בית הכנסת של אלכסנדריים *Synagogam Alexandrinorum qvæ erat Hieroſolymis* ואשה בה ערכיו, *& convertit eam in uſus ſuos*, & in libr. Hieroſolymitano (204) dicitur illam Synagogam Alexandrinos de proprio ſtruxiſſe, qvod obſervavit Ligtfootus (205); de Synagoga illorum, qvi erant ex Cilicia audi longè celeberrimum Vandalinum (206) *Collegium eorum*, inqvit, *qvi erant ex Cilicia, erant Judæorum ex iſta Aſiæ minoris provincia, cujus metropolis Tarſus, Hieroſolymas adventantium, & ex hac Synagoga Græca erat ſine dubio Paulus ad pedes Gamalielis inſtructus* (207); Si jam certæ in Hieroſolymis illis ex Alexandria & Cilicia nec non cæteris in textu memoratis fuerint Synagogæ, cur unam LIBERTINORUM omnes illi freqventarent? Poſitô enim, nomen illud

(200) *de Jure nat. & Gent. lib. 2. cap. 5.* (201) *Bib. illuſtr. in Act. Apoſt. cap. 6. v. 9.* (202) *citatus à Johanne Lorino in Acta Apoſtolor. pag. 264.* (203) *fol. 26. 4.* (204) *fol. 73. 4.* (205) *Hor: Ebr. in Acta pag. 703.* (206) *in prælection. publ. in Act. cap. 6. v. 9.* (207) *Act. 22. v. 3.*

illud LIBERTINORUM omnibus illis competere potuiſſe, non ideo neceſſe fuit ab ordinariis illis Synagogis ſeſe ſeparare, qvod ſuprà demonſtravimus; Verùm ne qvidem conceditur, illis ex variis gentibus fuiſſe LIBERTINOS, qvia copula ϗ hanc interpretationem obicem ponit; ejusmodi in caſu ſcripſiſſet Lucas: Λιβερτίνων Κυρηναίων ϗ Αλεξανδρεών &c. LIBERTINORUM *Cyrenenſium & Alexandrinorum*, omiſsâ copulâ, verùm cum in omnibus editionibus ac interpretibus copula inveniatur, Syrô exceptô, qvi illam neglexit, facilius & probabilius concludimus, tot in hoc textu intelligi Synagogas, qvot occurrunt perſonarum ἐπίθετα, hinc dicit Lyranus (208) *Qvemadmodum morabantur illic hoſpites multi, ita & Synagogas habebant multas, in qvibus oportebat & legem legi, & preces fieri.* Alia autem ſpontè taceam qvæ de Synagogis Judæorum referre potuimus; De origine enim earum in ſanctis literis & prophanis nihil ita accuratè definitum eſt, ut absq; ſolicita hæſitatione & metu pænitentiæ certum aliqvod ſtatuere poſſimus; Scriptores docti, qvi ſuæ diligentiæ ſpecimina in mundo illuſtria, ediderunt, heic vel ſilent, vel, ſi loqvantur, ſibi contradicunt, qvibusdam à Moſe, aliis ſerius, aliis verò à Babylonica demum captivitate Synagogarum natales repetentibus, qvos tamen ultimos tutius nos ſeqvi poſſe videtur; De nominibus, ſtructura, ut & Origine, Præfectis, Miniſtris, & ſacris Synagogarum prolixè & non minus doctè agit Campegius Vitringa (209) qvi à plura petentibus conſuli poteſt.

COROL-

---

(208) *Gloſſ. Tom. VI. pag. 1043.* (209) *de Synagoga vetere.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

COROLLARIA.

I.

In Pſ. 74. v. 8. *combuſſerunt omnia loca conventus Dei in terra* memoriam Synagogarum extare falſò ſibi perſvaſit Fullerus *in Miſcell. ſacris* lib. 2. cap. 9.

2.

Levitarum diſperſio inter Judæos originem non dedit Synagogis.

3.

Pagos Synagogis inſtructos fuiſſe qvis non credat?

4.

Ante mortem Gamalielis Principis Diſcipulos etiam ſolitos fuiſſe ſedere credimus.

5.

Ars non ex eventu vel fortuna æſtimanda eſt.

6.

Nomen *Auguſti* primò Conſtantio ejusq; fratribus, Conſtantini filiis, eſt impoſitum contra Roſinum, pag. 702.

7.

Veroſimilè eſt Ægyptios primos fuiſſe vel ſaltem inter primos, qvi commercia cum gentibus reliqvis exercuerunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-250 4° 1386